

592591
DISSERTATIO
HISTORICO-ECCLESIASTICA,
De
Libris Reformatæ Ecclesiæ Symbolicis.

Quam,
FAVENTE DEO TER OPTIMO. MAXIMO.

Præside
SIGISMUNDO N. BOROSNYAI,
V. D. Ministro. S.S. Theologiæ Doctore P. Eiusdemque Fa-
cultatis, nec non Historiæ Ecclesiasticæ, et Juris
Naturæ Professore Ordinario.

Publice Defendent,
JOSEPHUS S. ZILÁHI, et MARTINUS B. ONADI.
Inlustris Conlegii Ref. Bethlenii, olim Albæ, nunc in
Oppido N. Enyed Residentis,
CONTRASCRIBÁ, et NOTARIUS PUBLICUS.

A. D. M. D. CC. XXXX. V. a. d. 13 Septembris.
N. ENYEDINI. HH. L. Q. SS.




CLAUDIOPOLI,

Impr. Per JOSEPHUM S. PATAKÍ 1745.

Haáz Rezső Múzeum Tudományos Könyvtára, Székelyudvarhely

07315



Jerem. Cap. VI. Com. 16.

עמדו על־דרכים וראו ושאלו לנתבות עלם אי־
זה דרך הטוב ולכריבה ומצאו מרגוע לנפשכם ;

Joan. Cap. V. Com. 39.

Ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς, ὅτι ὑμεῖς δεκείτε ἐν αὐταῖς ζωὴν
αἰώνιον ἔχειν.

Lactant. Div. Instit. L. I.


*Non est passus hominem DEUS lumen sapientiae requirentem,
diutius errare; ac sine ullo laboris effectu vagari per tenebras
inextricabiles: aperuit oculos ejus aliquando, et notionem
veritatis munus suum fecit, ut et humanam sapientiam
nullam esse monstraret, et erranti ac vago viam con-
sequendae immortalitatis ostenderet.*

Cicero. L. II. de Oratore.

*Quis nescit, primam esse Historici Legem, ne quid falsi dicere
audeat; deinde ne quid veri non ausit: praeterea ne qua
suspicio gratiae adsit, ne qua simultatis.*

Cartes. Princ. L. III.

*Nihil adfirmo, nihilque ab ullo credi velim, nisi quod ipsi evi-
dens et invicta Ratio persuadebit.*



59

V I R O

NATALIBUS, MERITIS, MUNERIBUS,
INLUSTRISSIMO, ET MAGNIFICO DOMINO.

D O M I N O

FRANCISCO

L. BARONI

VESSELENYI

DE HADAD.

SACRAE REGIAEQUE HUNGAR. ET BOHEM.

MAJESTATIS

CAMERARIO.

INCLUTI COMITATUS K. SZOLNOK

SUPREMO COMITI.

PLURIMARUM REF. ECCLESIARUM

ATQUE INLUSTRIS CONLEGII REF. BETHLENI

IN OPPIDO N. ENYED RESIDENTIS

CURATORI.

PRIMARIO. PIO. DILIGENTI. OPTIMO. DOMI-

NO ET PATRONO SUO MUNIFICO. GRATI-

OSO. HONORANDO ET COLENDISSIMO.

Dissertationem hanc Sacram esse voluit

Auctor et Praeses

Sigismundus N. Borosnyai.

924



INLUSTRISSIME ET MAGNIFICE DOMINE
L. BARO. DOMINE ET PATRONE COLENDISSIME.

MTraberis fortean, qui fiat, ut ego,
vix dum TIBI cognitus, viam ad TE temere
adfectem, Sacramque TIBI, longe Majora Cu-
ranti, hanc Dissertatiunculam esse jubeam.
Nec inmerito; graves enim sunt et molestæ fatis Virorum
Procerum occupationes; curæ longe difficilimæ, quin etiam
ipsum

ipsum otium, sicubi detur, negotii plenum: ut effringenda sint ei omnia pene pudoris et reverentiæ claustra, qui secessus Eorum severiores intempestiva temeritate velit interpellare. Sed fuerunt, crede mihi, quæ inpellere, immo stimulare potuerunt, rationes haud levissimæ; meliore enim Jure, quem poteram conpellare, atque Filium Excellentissimi, et jam Beati PATRIS TUI, Patroni, dum viveret, mei Maximi, Primogenitum? Cujus auctoritati, arbitrio et favori hanc, quam inter convicia et laudes ornare studeo, provinciam in primis acceptam fero, Ejusque memoriam in æternum benedictam esse cupio. Sed et sanctior illa necessitas, nobiliorque me stimulat inpetus, ad lucubrationes hæc, TIBI, VIR MAGNIFICE, inscribendum: Orthodoxa scilicet illa Religio, qua nihil TIBI prius, nihil antiquius, nihil est constantius; et Virtus, intaminatis fulgens honoribus, quam bonis omnibus summa laude adprobasti, Almæ Anniacæ commendasti. Dignissimus es, ad hæc, INLUSTRISIME L. BARO, Cui, hoc quidquid est operis, in perpetuæ meæ observantiæ pignus, et si dicere fas, in hostimentum perpetui TUI in me favoris, memori gratoque pectore offeram. Liberalitas siquidem TUA, vere Magnifica, quam Xenophon in Cyro suo laudat, qua gloriabatur Alexander M. cui Titum addictissimum fuisse legimus: qua Collegium Bethlenium, dum Ejus gubernacula, paribus TIBI votis delata, capefferes, dotasti, et quasi desponsasti; qua Dissertatio hæcce publicam adspicit lucem, id effecit: ut, tacitæ honoris, cultusque scintillæ, in secretis

cretis pectoris mei templis jam diu excitatæ, è cineribus tandem in flammam erumperent. Adcedit, quod causæ caput est, TE, VIR MAGNIFICE, non ipsum modo amare bonas Litteras, easque fovere, et promovere omni nisu; sed et Scholasticos meos, varii argumenti sermones legisse, atque honorifica, publico in Examine, præsentia dignatum fuisse: quæ res spem adfert non parvam, fore ut, præsertim in tanta Mæcenatum penuria, animum, TIBI ex honesto studio deditissimum, quem consecratione Dissertationis testatum ivi, non profus favore TUO indignum sis judicaturus. Ceterum inmortalem DEUM calidissimis veneror precibus, ut is semper gratia TIBI sua adsit clementissime, atque exulceratis his temporibus, ab omni sæculi, in nefas ruentis, labe immaculatum conservet, et in agnita veritate, Fideque semel sanctis tradita, quotidie magis magisque confirmet. Redeat, TE Conlegii nostri gubernacula administrante, prisca Majorum pietas, mores antiqui: Custodiatur fides pura, primæva, Apostolica; publicus denique Divini Numinis cultus integer et inlibatus. Conlegio bona sua, jura facta tecta que in omne ævum durent; opes autem Ejus, per injuriam temporis, et sacrilegam quorundam audaciam, inscitiam, aut avaritiam dissipatæ, et profanos in usus translatae, postliminio reducantur. Floreat vigeatque res Litteraria, ad summum perfectionis apicem TUO sub Patrocinio evehenda. Reddantur Litteratis præmia, in eruditionis,

dili-

diligentiæ, virtutisque stimulum et honestamentum, à Majoribus olim piè constituta. Professoribus suis constet honor et pretium, sint doctrinâ sani, moribus graves, casti, candidi, concordés, diligentes, inculpati, et ubique conversationis, caritatis, fidei, et pietatis viva exemplaria. DEUS Ter O. M. fortunas TUAS tueatur, Honoribus Caractere TUO condignis TE cumulet. Divite et pia faciat TE Prole potentem, Familiamque TUAM Magnificam fervet in optimo flore, Eique omnia ex voto fluere jubeat constantissimè, et quidquid triste aut ominosum est, amoliaturn benignissimè. TEque Pium, Felicem, Ecclesiæ, Reip. Conlegio, et mihi semper sospitet, ac tandem post plurimos lustrorum circulos, votorum saturum, plenum Spiritu salutifero, reponat in Cœlum Beatorum. Vale, VIR MAGNIFICE, et CURATOR OPTIME, meque in TUIS Clientibus minimum esse finito. Dabam N. Enyed. è museo Kal. Aug. 1745.



122.598

CONSPPECTUS TOTIUS DISSERTATIONIS SYNOPTICUS.

- Sectio Præambula, agit de concordî discordia, et discordi concordia Protestantium.
- Sectio Prima. Historiam Augustanæ Confessionis exponit.
- Sectio II. Continet Relationes de Confessione Helvetica.
- Sectio III. Originem et fata Catechismi Palatini enarrat.
- Sectio IIII. Proponit vulgarem de Auctoribus Catechismi Palatini opinionem.
- Sectio V. Zachariam Ursinum Auctorem fuisse Catechismi Palatini, è Vita Ejus, per Franciscum Junium descripta, agnoscit.
- Sectio VI. Enumerat fundamenta dubitationis de Casparo Oleviano.
- Sectio VII. Quam dubitationem è Vita Oleviani, Auctore Joanne Piscatore edita, confirmat.
- Sectio VIII. Zachariam Ursinum solum et unicum fuisse Auctorem Catechismi Palatini, ex iis, quæ methodo deliberativa disputata sunt, concludit.
- Sectio VIII. Recitat Historiam S. Synodi Dordracenæ.
- Sectio X. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. Judicium S. Synodi Dordracenæ, de sententiæ Orthodoxæ propositionibus, et heterodoxæ Rejectionibus, per quinque Capita Controversa, describit.
- Sectio XVIII. Formulam Consensus Ecclesiarum Helvet. Reformatarum, circa Doctrinam de Gratia universali et connexa, aliaque nonnulla Capita, recipit.
- Sectio Concludens. Scopum Dissertationis aperit, et claudit.



Sectio præambula.

Hierosolyma, Sancta illa Civitas DEI, prima Sedes Doctrinae Christianae, matrix et originaria Ecclesia totius Christianismi adpellatur, nec inmerito; prædicantibus enim in lastribus oraculis, *Jes. II: ̄. 3. Mich. III. ̄. 2. Tziona prodiit Doctrina, et Verbum JEHOVAE Hierosolymis.* atque de complemento clarissime adtestantibus, tam Sacris, quam Ecclesiasticis priorum Patrum, Justini Martyris, Irenæi, Tertulliani, Eusebii, et aliorum Historiis. Quod autem nascenti Evangelio Hierosolyma fuit, idem renascenti, et beneficio Reformationis ex corruptelis doctrinae, morum, et regiminis restituto, sunt duæ insignes Metropoles, Tigurum Helvetiorum, et Witteberga Saxonum: Saeculo quippe sextodecimo Huldricus Zwinglius Tiguri, Martinus Lutherus Wittebergæ, Doctrinae Evangelicæ vindicationem, ac Ecclesiae Reformationem magno animo, et stupendo successu, cooperante Spiritu S. adgressi sunt; ita quidem, ut utrimque longè latèque non modo per Germaniam, sed etiam per finitima regna, et provincias perferretur, ac cupidissime admitteretur renatum Evangelium. Et Tigurum quidem Matrem agnoscunt Ecclesiae Helveticæ, et Superioris Germaniæ, præcipue ad Rhenum, nec non aliæ per Galliam, Angliam, Scotiam, Belgium, Poloniae ac Litvaniae partem, ac denique per Hungariam et Trans-silvaniam. &c. &c. Wittebergam vero eodem honore dignantur Ecclesiae per utramque Saxoniam laxius sic dictam, et ei adfitas in Germania Provincias, per Daniam, item Norvegiam, Svediam, &c. &c. Quæ omnes utriusquæ Metropoleos Ecclesiae, et si communem, sub nomine Protestantium, Reformationis Causam agant, his tamen, quæ Confessionem Tigurinam sequuntur, hæc prærogativa optimo tribuitur titulo, quod ab erroribus et Superstitionibus veteribus purgatiores sunt, eoque gravioribus Romanensium odiis obnoxia.

A

Quan-

Quantum autem, proh dolor! damni in Ecclesiam pariter ac Remp. invexerit infelix illud Religionis schisma, inter Protestantes Imperii Germanici ortum, cogitari vix fatis, deplorari pro merito unquam potest. Neque enim tantum nascentis Evangelii propagatio inhibita, et infirmis Scandalum datum, et hostibus Protestantium insultandi ac de dissidiis civilibus triumphandi nata est ansa; sed eo quoque processit quorundam æmulatio, ut tela ac vires, quas ad expugnandos hostes, suos conjungere debuissent, in perniciem mutuum Fratrum convertere maluerint. Hinc effectum est, ut intra Sacramentariam Causam illa non stetit, sed augendo incendio nova undique à turbulentis ingeniis materia conquistata, nullus ferme Theologiæ locus extra controversiam relictus, quin etiam certa prius ac indubitata Doctrinæ capita in controversiam vocata; nullus apex reliquus manserit, in quo non disensum aliquem reperire, vel alteri per calumniam affingere studium esset. Ipsa Augustanæ Confessionis formula, quæ ad communem causam Protestantium defendendam primitus fuerat instituta, tandem velut tessera dissensionis inter ipsos jactari cœpit: et licet consensum suum super eadem Confessione, decimo duntaxat Articulo, nec eo toto excepto, vice non simplici publice privatimque testatum fecissent Reformati, quod etiam ad oculos demonstravit Henricus Altingius, in *Disputatione Harmonica, Confessionum Augustanæ, Helveticæ et Palatinæ Orthodoxorum consensum exhibente*; non defuerunt tamen calumniatores, qui universam nostrarum Ecclesiarum Doctrinam toto cœlo ab Augustana Confessione distare, adeoque è multiplici hæresium congerie conflata esse, *absurda absurdorum absurdissima Calvinistica absurda, Hodomorian Spiritus Calviniani* nuncupando, et nunc, et olim insigni impudentia clamitarint. Idque non alio consilio, quam ut disrupto penitus, quantum in ipsis erat, Christianæ unionis vinculo, etiam usura communionis illius pacis, quæ Confessionis Augustanæ sociis sancita est, Reformatos excluderent, adeoque invidiæ et armis adversariorum extirpandos objicerent. Atque ita schisma, data opera quæsitum, tandem corroboratum, paries intergerinus erectus, discordia inextingvibilis stabilita, concepta famosa illa *Concordia Formula*, tamquam unico Libro Symbolico. Nos vero ad hæremus *Augustanæ et Helveticæ Confessionibus*, nec non *Catechismo Palatino*, Libris Symbolicis Consensum Orthodoxum spirantibus, in omnibus Augustanæ Confessionis Articulis, præterquam in decimo eoque non toto, super quo Theologi et Doctores Reformati sententiam suam tam liquido demonstrarunt, ut non tam de veritate rei, quam de considerandi modo discrepare viderentur. Quare si in aliquibus, iisque non levibus Doctrinæ Capitibus, inter

nos,

nos, et formulæ cōcordiæ adhærentes sit dissensus, non utique ex ipsa Augustanæ Confessionis formula, tot vulgo jactatas controversias ortum ducere, sed extra illius ambitum longissime remotas, et à liti-
giosis maxime ingeniis aliunde arcessitas esse: Sic ut merito de plerisque earum ambigi possit, an non magis, quam nos, illi ipsi qui Confessionem hanc ita mordicus tueri volunt; à Doctrina antecessorum suorum recesserint; quod quidem à nonnullis haud ineptè fuit demonstratum.

Sectio Prima.

Quemadmodum Ecclesia Romano-Catholica Libris Symbolicis, v. l. *Canonibus et Decretis Concilii Tridentini*, atque *Catechismo Romano* caret neutiquam; nec non Ecclesia Lutherana gloriatur, *Formula Concordiæ*: simili etiam modo habent Ecclesiæ nostræ Reformatæ Libros tres Symbolicos, scilicet: *Augustanam et Helveticam Confessiones*, atque *Catechismum Palatinum*, quibus addi merentur: *Conclusa Synodi Nationalis Dordrechana*. Horum cognitio omnibus ex æquo Ecclesiæ Reformatæ commembris utilis cum sit, et necessaria, rem forte non ingrâtam præstitisse censebor, si in gratiam Auditorum meorum, Historiam librorum nostrorum Symbolicorum, brevissima in tabella, rudi saltem penicillo depinxero. Erunt fortassis nonnulli, quibus hæc sententia: *Augustanam Confessionem Librum esse Ecclesiæ Reformatæ Symbolicum*, paradoxa videbitur, et tamen qui Historiam Reformationis et dictæ Confessionis, vel saltem primis degustavit labris, eam esse indubitatæ veritatis, facile animadvertet. Laudatus ergo Liber Symbolicus, *Confessio* dictus est, stylo Sanctuarii *Math. x. v. 32. Rom. x. v. 9 10. 1 Tim. vi v. 12. Confessus bonam Confessionem coram multis testibus. Augustana* autem hæc nominata est Confessio, à loco, ubi conscripta et exhibita est, is est *Augusta Vindelicorum*, in Vindelicia ad Lycum amnem sita, ibi enim à Principibus ac Statibus Protestantibus 25. Junii A. MDXXX. Carolo V. Cæsari in Comitibus Imperialibus repræsentata fuit, ad reddendam Fidei rationem, et Adversariorum calumnias refellendas. Johannes Dux Saxonæ, Elector: Georgius, Marchio Brandenburgensis: Ernestus, Dux Luneburgensis: Philippus, Landgravius Hassorum. Johannes Fridericus, Dux Saxonæ: Franciscus, Dux Luneburgensis: Wolfgangus, Princeps ab Anhalt. Senatus Magistratusque Nurnburgensis: et Senatus Reutlingensis. Hi omnes Augustanam Confessionem conscribi mandarunt Theologis suis, Martino Luthero, Philippo Melanchtoni, Georgio Spalatino, Justo Jonæ, Johanni Agricola Islebio, Johanni Brentio, Erhardo Snepfio, Andreæ Osiandro. Ex his Lutherus præcipuam materiam suppeditavit scribendæ Confessioni, de-

in 602

lineatis Articulis xvii. de controversis Capitibus, Melancthon ipsam Confessionem adornavit, Reliqui, (: suffragante etiam Lutero, qui Coburgi in itinere relictus, de omnibus absens audiebatur et respondebat, :) Theologi, Principes et Status conscriptam examinaverunt et adprobarunt Confessionem; adprobatam vero in Palatio Cæsaris, adfidentibus ipsi Ferdinando Fratre, Electoribus, reliquisque Imperii Ordinibus, clarè et distinctè recitari, Lingva et vernacula, et Latina exhiberi curarunt. Hi tandem Principes ac Status *Protestantes* dicti sunt, quod contra Decretum in Causa Religionis Spire conditum, *protestati* essent. Deinde in Conventu præcipuorum Theologorum Smalcaldie A. 1537. Post etiam in Synodo Wittebergenfi A. 1551. et alibi, Theologi supra dicti ac alii, formulam Confessionis Augustanæ ratam habuerunt, ac Consensum subsignatione testificati sunt, ac Principibus supra laudatis ac Statibus, fœdere Smalcaldico A. 1530. 1531. et deinceps, partim in Conventu Naumburgensi, alii etiam se confociarunt, idemque Fidei Symbolum susceperunt. Fœdere tandem Smalcaldico inito arma etiam sumserunt pro defensione Religionis suæ et Augustanæ Confessionis, infeliciter quidem A. 1546. 1547. feliciter vero et cum successu A. 1552. Pacem præterea Confessionis suæ Ecclesiis à Cæsare impetrarunt: primo, usque ad generale, Liberum et Christianum Concilium, A. 1532. Norimbergæ; inde inperpetuum Passaviensi transactione A. 1552. Postremo eandem Confessionem veluti communis Fidei Symbolum, repetita subscriptione renovarunt et confirmarunt Naumburgi A. 1561. Ad hæc, hæc de Confessione Augustana notari merentur sequentia: Confessio laudata omnia Capita Religionis Christianæ neutiquam continet, sed præcipua, ea imprimis, quæ de Doctrina et ritibus inter Evangelicos et Pontificios controversa erant, vel saltem per calumniam objiciebantur, ut controversa, quæ Lutherus jussu Electoris Saxonie, et Collegarum suorum cum consensu, xvii Articulis complexus erat Wittebergæ, quos Philippus postea Augustæ retexit, et in commodiorem formam, certo consilio, redegit. Theologi dein Confessionem Augustæ scriptam alicubi leviter mutarunt, alicubi etiam locupletarunt declarationis causa, maxime A. 1531. 1537. 1540. Unde novæ lites de variata et invariata Confessione. Apologiam quoque Confessionis, refutationi Pontificiorum oppositam, statim A. 1531 ediderunt: cujus delineatio jam Augustæ confecta, et Cæsari oblata, sed ab ipso repudiata fuerat. Insuper illam ipsam Confessionem aliis clarioribus perfectioribusque formulis repetiverant, A. 1537. titulo Articulorum Smalcaldicorum; A. autem 1551. sub nomine, *Confessionis Saxonicae*. Eandem denique Confessionem Conloquiis publicis contra

contra Pontificios propugnarunt v.l. in Conloquio Augustano A. 1530. Wormatiensi primo 1541. Ratisbonensi primo 1541. Ratisbonensi secundo A. 1546. et Wormatiensi secundo A. 1557. Confessio Augustana consentit cum Verbo DEI, cujus normam se inscribendo secutos esse Auctores ejus profitentur, quod certum et evidens est, in omnibus Articulis doctrinalibus, excepto decimo, qui prout Augustæ scriptus fuit, non per omnia convenit cum Scriptura: sicut autem postea mutatus et declaratus est a Philippo et aliis, satis cum ea concordat. Modus vero expositionis, simplex quidem est, et perspicuus, sed brevior alicubi, quam ut declarandis capitibus controversis sufficiat; alicubi etiam moderatior et mollior, quam ipsarum Controversiarum momenta efflagitant: sed hanc scribendi rationem ideo usurparunt Auctores Confessionis, ne Cæsarem gravius offenderent, aut sibi Augustæ periculum aliquod crearent, quorum utrumque ipsa Historia Augustanæ Confessionis à D. Chytræo edita, luce clarius testatur.

Sectio Secunda.

Augustanæ Confessionis addimus alterum Ecclesiæ nostræ Reformatæ librum Symbolicum, *Confessionem* v.l. à loco conscriptionis, editionis, et primæ receptionis, dictam *Helveticam*. Pudeat sane hominem Reformatum, in primis Hungarum Historiam et contentum nobilissimæ hujus Confessionis ignorare, quæ reliquarum omnium Ecclesiæ Reformatæ Confessionum scilicet, Belgicæ, Anglicæ, Gallicæ, &c. fundamentum est, cui etiam Ecclesiæ in Hungaria et Trans-sylvania Reformatæ jam diu addictæ sunt: et tamen reperi è popularibus nostris, Virum non ignobilem, apud quem, dum ad conclusâ laudatâ Confessionis provocassem, prodidit ignorantiam suam, regerens: *Helvetica Confessio viget et valet in Helvetia, non autem in Trans-sylvania*. Historiam Confessionis nostræ Viri Eruditi, imprimis Helveti prolixè inlustrant, occasio autem ejus, in Præfatione Latina et Hungarica Confessionis præmissa, clarissime enarratur: pauca tantum ex iis in rem nostram decerpemus. Postquam Orbi nox per aliquot sæcula incubuit, placuit Soli Justitiæ radiis purioris Doctrinæ inlustrare etiam Helvetiam, in qua Evangelicæ Tubæ sonus præ aliis Gentibus audiretur, Huldrici Zwinglii ministerio, qui ante Lutherum, vel saltem eodem tempore, Religionem Christianam in Helvetia ad primævam suam puritatem revocare studuit. Pareus in *Dedicat. Tom. 3.* Cujus Doctrinam novam non fuisse, fatetur Gvillimannus, *Lib. 3. Cap. 5.* dum ait: *In Helvetia Udalricus Zwinglius, Sacerdotii Ordinis, non nulla quoque nova tradere cepit, aut pleraque, quæ olim Arnoldus Brixianus Tiguri docuerat longa oblivione et*

604
tenebris damnata, post quadragesimum annum in lucem memoriamque revocavit. Itaque ex Cantonibus XIII. Reformationem amplexi sunt Tigurini, Bernates, Basilienses et Schaphusiani: qui de rebus suis deliberaturi Arovii conveniunt; ex fociis autem Sangallenses, Neocomenses, et Biennenses. Horum *Confessio*, quæ à Gente *Helvetica* nomen habet, magni in Ecclesia nominis Synodi Basileensis, Anno Christi 1530 habitæ jussu, conscripta est ab Henrico Bullingero, Osvaldo Myconio, ac Symone Grynæo: quibus postea additi fuere, Leo Judæ, et Casparus Megander; sponte insuper Martino Bucero, et Wolfango Fabritio Capitone operam suam offerentibus. Eam adprobarunt, tum Wittembergenses Theologi, tum universi Smalcaldici Fœderis Principes. Hospin. *Hist. Sacra Lib. 2. Cap. 156.* Lutherus ipse Orthodoxam se illam agnoscere professus est. Idem Lib. cit. p. 148. Ambrosi, Wolfius *de Concord. Luth. cum Eccles. Helvet.* Eandem postea monitu Frid. III. Elect. Palatini, paulo uberius, theticè et antitheticè exposuit Henricus Bullingerus, A. 1565. in cujus jam editæ A. 1566. consortium accesserunt, eique subscripserunt Ecclesiæ Polonicæ, in Ducatu primum Zathorienfi et Osviccimensi, quæ A. 1572. Sigismundo II. Confessionem hanc in idioma suum translata obtulerunt, in Comitibus Warfaviensibus: quibus dein plures in eodem Regno se adjunxerunt, postquam Confessione visa perpensaque Stephanus Rex A. 1578. publicum Religionis exercitium Reformatis indulgit. Similiter Scotticæ Ecclesiæ Andreapoli in Synodo coactæ, literis ad Theod. Bezam A. 1566. datis, consensum suum testatæ sunt, et ut alios omittam, idem Hungari fecere. Confessioni Genevensi à Theodoro Beza conscriptæ, Ministri Ecclesiarum Reformatarum universæ ferme Hungariæ subscripsere; id quod omnino liquet ex Articulis in Synodo Gontziensi A. 1566. 23. Januar. adprobatis, quorum tertius sic se habet: *Quia jam in duabus Synodis subscriptum est Confessioni Genevensis Ecclesiæ, conscriptæ diligenter à Theodoro Beza, Ministro Ecclesiæ istius, illam Confessionem studeant sibi comparare, eamque legere, et discere Pastores, non quia id à Beza dictum sit, sed quia conveniat cum Sacris Litteris.* Præterea Debreczini in Hungaria edita et impressa est Confessio Helvetica, una cum Articulis quibusdam A. 1567. 1. Septemb. et inscripta Serenissimo Principi et Domino D. *Johanni II. DEI Gratia Electo Hungaria Regi, &c.* in qua inter alia hæc leguntur verba: *Omnes Ecclesiæ Ministri, qui in Conventu Sancto ad 24. Febr. 1567. Debreczinum convocati cis et ultra Tibiscum adfuimus, inter reliquas confessiones, (adluditur ad Tsengerinam, Genevensem, Tartzaliensitordensem;) recepimus et subscripsimus Helvetica Confessioni A. 1566 editæ, cui et Ecclesiæ Genevensis Ministri subscripserunt.* Confessionem istam
 ex La-

ex Latino in Hungaricum transtulit idioma A. 1615. April. Petrus Csene Szentzienſis, Miniſter Eccl. Refor. Erſek-Ujvarienſis, demum Superattendens in iuſer. Hung. Samariæ typis inpreſſam, dein A. 1616. Debretzini Latine et Hungarice recudit Paulus Lipſienſis, ad mandatum Spectab. ac Magnifici Domini Franciſci Rhédei, Conſiliarii Sereniſſimi Principis D. Gabrielis Bethlen. Claudiopoli recuſa A. 1679. item nuper Annorum cum additamento, in Inuſtri Gymnaſio Bethlenio, et in Oppido Trans-ſilvanorum N. Enyed reſidente, prælecta et explicata publice per Cl. Th. Profefſorem Martinum Deſi, atque per me: ubi, et in reliquis Collegiis Reformatis pro norma Cenſuræ, peregrinantium; ſicuti in Synodiſ Generalibus conſtituta eſt.

Seçtio Tertia.

Tertius tempore, ſed perfeçtione primus Liber Eccleſiæ Ref. Symbolicus, *Catechiſmus à loco Palatinus*, ſive *Hejdelbergenſis* audit. Mirum fane eſt, Libri Symbolici adeo Celebris Hiſtoriam, ac veram occaſionem, nos ferme ignorare, pleniori forte et adcuratori, cum Bibliotheca Palatina, ſimul direpta et deperdita: Inuſtris enim cætera Hiſtoricus, Jacobus Perizonius, in ſuo Seculi xvi, Commentario prolixiffimo, p. 652. hæc tantum pauca refert: *Fridericus III. Eleçtor Palatinus, ulterius magno Religionis ſtudio progressus, Catechiſmum Hejdelbergenſem A M DLXII per Zachariam Urſinum, et Caſparum Olivianum confici, ac Anno ſequenti LXIII publicari utraque Lingva, Latina et Germanica curaverat.* Quidquid ſit, veriſſimum tamen eſt, nullum poſt exceſſum Apoſtolorum prodiſſe ſcriptum, præter Inſtitutiones Joh. Calvini, quod huic æquiparari ne dum præponi jure poſſit, clara enim et perſpicua ſunt hic omnia, et ſingula tantum non verba è fonte S Scripturæ divino, ſecundum mentem Spiritus S, ſunt repetita, ut merito Compendii Bibliçici nomine veniat. Id ipſum publice profiteri auſus eſt Frid. III. Pius Eleçtor Palatinus; dum Caſar Maximilianus A. 1566. 4 Maji, convocatis ad ſe omnibus Imperii Ordinibus, Eleçtori exprobraret Catechiſmum Ejus jufſu Confeçtum eſſe, qui diſſentit ab Auguſtana Confeſſione, ergo Eum excludendum à Pace publica. Reſpondiſ fertur Eleçtor magnanimus: *Catecheſin meam de verbo ad verbum ex Scripturis Divinis, non humanis deſumptam eſſe, oſtendunt loca in margine notata; quare fruſtra etiam Theologi nonnulli eam impugnare conati ſunt, quod ipſiſ Scripto publico fuit oſtenſum: Hoc autem quod alias coram Caſarea Veſtra Majeſtate profeſſus ſum, id ego nunc in hoc totius Imperii Conventu repeto: Si quis ſit, qui ex Bibliis Sacris meliora me docere poſſit, me illi gratiam ſummam habiturum. et Veritati Divinae libenter conſurum.*

surum. Quare etiam si laudata Catechesis famosis subito libellis ex-
 pta fuerit, et proscribendam è Germania publice nonnulli clamarent,
 sed vano et irritò successu; Univerſa enim tantum non Germania, et
 Provinciæ exteræ adprobatam receperunt, quibus accesserunt etiam Ma-
 jores nostri, ii enim Helveticæ Confessione, Catechismi Batiziani, et
 Siderii in locum, Catechesin Palatinam, tamquam Librum Symbolicum
 adjunxerunt, id quod patet è Frid. Ad *Lampe Hist. Ref. Hung.* p. 163.
 296. 387. 721. atque è conclus. II. et XVIII. Canon nostrar. Eccl. In
 Canone autem L. Officium tenellos Catechizandi Ministris præscribitur.
 In Conclusionè denique XI. ma aperte jubetur, ut, *Ministri V. D. si non
 frequentius, saltem Diebus Dominicis à meridie Conciones Catecheticas,
 juxta seriem Dominicarum, in quas Heidelbergensis Catechesis est distri-
 buta, ex quodam Canonica Sacra Scripturæ loco assumpto, habeant.* In
 Scholis etiam nostris Inlustribus laudata Catechesis Studiosæ Juventuti
 prælegitur et explicatur. Ad hæc, formula etiam juramenti Ministro-
 rum V. D. aperte desiderat, observatiõnem Doctrinæ Scripturariæ, pro-
 ut illa in Helvetica Confessione, et Catechismo Palatino tradita est.
 Plura in hanc rem connotata vide Frid. Ad *Lampe Hist. Eccl. Ref. in
 Hung. et Trans-sil.* p. 127. &c. Ubi versio Hungarica Catecheseos,
 qua de differimus adscribitur Francisco Szárafii, versionis, autem per-
 politio, Alberto Mórnár Szentziensi. Quod ad Occasionem adinet
 conscriptæ hujus Catecheseos, eam describit Johan. Lætus in Con-
 pendio *Hist. univers.* p. m. 392. 393. *In Germania ubiquitatis dogma,
 à Joh. Brentio cufum, vivente tamen Melanchtone, tantum de eo di-
 sputatum clam, et mustitatum. In Palatinatu, Heidelbergæ Tilemannus
 Hesbusius Pastor, Controversias Sacramentales excitavit, Fridericus Ele-
 ctor et Eum, et qui se Ei opposuit Vilhelmum Klebetium dimisit, et
 disputationem instituit inter Theologos suos, ac Thuringiacos, hi oralem,
 illi Spiritualem manducationem tuebantur: Ceterum, ut Elector schis-
 ma tolleret, Hypoypofin Doctrina, qua Catechesis Heidelbergensis,
 conscribi atque publicari jussit. Unde patet: Dogma ubiquitatis, et
 Controversias Sacramentales dedisse occasionem huic Libello.* Inlu-
 stris vero Jacobus Perizonius in Commentario suo *Rerum seculi XVI.*
 de occasione Catecheseos Palatinæ hæc habet: p. 650 651 652 *Li-
 tes intercodebant Lutheranis cum Zwinglianis, de Confessione Augusta-
 na, num scilicet illa, quemadmodum erat emendata à Melanchtone, re-
 ciperetur? quo ita Societas iniretur, ac Concordia confirmaretur cum
 Zwinglianis, à quorum partibus stetit Fridericus III. Elector Palati-
 nus, vere Pius, idem volebant Theologi VVittebergenses, et, quam ma-
 xime Melanchtonis, discipuli, et omnes tantum non Principes Germania,*

Alii

Alii urgebant Confessionem Augustanam invariata esse retinendam, quorum partes Job. Fridericus, Dux Vinariensis, quam contumacissime tuebatur, recusabatque, non modo praefationem, sed et communem subscriptionem cum iis, qui de Eucharisticis verbis minus rectè sentirent: quo designabat maxime Electorem Palatinum, qui tamen Socer ipsius erat. Quin cum videret, se obtinere non posse, quod vellet, licet à ceteris rogaretur Principibus, ne hanc conjunctionem tam necessariam adversus communes hostes, turbaret, iratus tamen discessit. Concordia igitur desperata subministravit huic Catechismo occasionem, qui Catechismo Lutheri, Brentii &c. substitueretur. Conf. Henrici Alting. Hist. Eccl. Palat. p. 189. &c.

Sectio Quarta.

Equidem Catechismus Heidelbergensis prolixiorum merebatur Historiam, verum, quia Historici Protestantes, et Palatoterici ac Neotecnici, aut nullam, aut compendiosam Ejus adnotaverint enarrationem, nos quoque paucis contenti, sponte defluimus ad alteram Dissertationis nostrae partem: *De Auctore Catechismi Palatini*. Vulgaris omnium tantum non Theologorum et Historicorum Celeberrimorum, qui Catechismi Heidelbergensis meminerunt, est opinio: Auctores laudati Catechismi duos fuisse, v. l. Zachariam Ursinum, et Casparum Olevianum, id quod nonnullis probaturus sum testibus. Jacobus Altingius Operum Tomo ultimo. in Prolegomenis Analif. Exegeticæ Catech. Palat. fol. 3. sic factur: *Scriptum Catecheseos Palatinum humanum publicum est, jussu Electoris Frid. III. Pii, ab Oleviano et Ursino conscriptum, à potissimis Pastoribus Palatinatus examinatum, et probatum, ab ipso Elect. A. 1563. in Januario publicatum, (1.) in usum Juventutis. (2.) in certam formulam Doctrinae in Templis et Scholis tractanda. (3.) in praeventionem dissensus et schismatum, siquidem quivis suo arbitrio in docendo uteretur. Eodem animo à Fosua Lago, et Lamb. Pithopæo Latine redditum, et pari auctoritate promulgatum fuit. Tandem ab Ecclesiis aliis receptum est, et speciatim in Belgio, decreto Synodali habitæ Emdæ 1570. Mense Octobri. Gallicis Ecclesiis Genevensi Catechismo, et Emdana sua antiquiori relictis. Eadem est Sententia Salomonis Van Til. Homil. Catechet. p. 2. Hujus beneficium nobilissimum specimen exhibuit Catechesis Heidelbergensis, opus à Viris Doctissimis et insigni pietate conspicuis, D.D. Zacharia Ursino, et Casparo Oleviano, jussu optimi Principis Frid. III. cognomento Pii ceptum, quodque in Palatinatu tanto cum successu elaboratum, et A. 1573. publicatum fuit, ut plurimarum Ecclesiarum calculum promeruerit: quod cum ad restituendam consolationis Doctrinam, unice adornatum fuerit, Ecclesiis quoque Belgicis dignum videbatur, ut propter ejus exactissimam methodum reciperetur,*

pro cultu explicaretur, et juxta Decretum in Synodo Embdana A. 1571. pro modulo institutionis Catechetica haberetur. His accedit Jacobus Perizonius in Commentario Seculi XVI. in loco §. 3. laudato. p. 652. A. 1562. Per Zachariam Ursinum, et Casparum Olevianum confectus est Catechismus Hejdelbergensis. Adprobat horum suffragia Petrus Van Hocke, Lucubr. in Gateches. Palat. p. 1. et 2. Sub initium nascentis Evangelii aeterni, veritas ex Scripturis demonstrata, petebatur calumniis mordacibus et iniquis, et Religio Christiana variis et multis Dissensionibus et Dissidiis lacerabatur et conturbabatur. Hac ad animum revocavit Frid. III. cognomento Pius, Elector Palatinus Serenissimus, qui per suos incubuit Theologos in id, ut Populus DEI haberet exemplar sanorum sermonum, seu ex Scriptura et secundum illam (: Religionis Orthodoxæ normam unicam :) τὸ πᾶν διδασκῆς teneret, et profiteretur, tam in Templis, quam Scholis privatis et publicis. Sicque ejus jussu natus est Catechismus Palatinus seu Hejdelbergensis, confectus primario ab Theologis Celeberrimis, Zacharia Ursino, et Casparo Oleviano, conscriptus sermone Teutonico, in lucem emissus, et publicatus, A. 1563. postquam ab Inspectoribus Ecclesiarum, publica auctoritate ad id evocatis, esset revisus, et adprobat; versus autem est in Sermonem Latinum ab Josua Lago et Lamberto Ludolpho Pithopæo, Viris insignibus et laudandis. Placuit his Catechismus Ecclesiis Belgicis in Synodo Embdana, A. 1571. Dordrechtana A. 1578. Medioburgensi 1581. Hagana 1586. donec tandem Nationalis Synodus Dordrechtana A. 1618. hunc Catechismum denuo adprobavit, et veritatem ejus S. Sacræ conformem declaravit. Eandem habet vocem J. Rodolphus à Rodolph in Catechesi Palat. inlustrat. p. 8. § XI I. Auctoritate atque pio instituto Friderici III. cognomento Pii, Adsertoris Helvet. Confessionis constantissimi, Reformatorem in Gallia Patroni et Defensoris, exulumque Protectoris optimi, Principis, integritate, liberalitate, &c. nullo suorum temporum inferioris. Thuan Hist. Lib. 62. in usum Ecclesiarum et Scholarum Elect: Palatinatus conscripta, auctoribus præcipuis D. Zacharia Ursino, et Casparo Oleviano, Theologis Hejdelberg. et ab Inspectoribus Ecclesiarum Palatinarum consentientibus suffragiis adprobata, sub nomine Electoris Friderici beatif. memor. felicibus auspiciis publicata fuit mense Jan. Anni Aera Vulg. 1563. Plures facile possent ex Antiquioribus et recentioribus Scriptoribus testes produci, concludam tamen eo, quod habetur in Hist. Eccl. Ref. Hung. et Trans-sil. cura Friderici Adol. Lampe edita p. 128. Ubi vero jussu et auctoritate Friderici III. cognomento Pii, Electoris Palatini à Celeber. Theologis Hejdelberg. Ursino in primis et Oleviano collatis operis et consiliis confecta Catechesis vulgo Palatina, sive Hejdelbergensis denominata, quæ fidelibus auspiciis in lucem producit,

dicit, A. 1563. mense Januar. ad Hungaricas etiam Ecclesias, Lingua primum Latina, inquam à Fosua Lago et Lamberto Pithopæo translata erat, penetrasset, avidè et gratanter ab Eruditis nostra Nationis excepta, Juventuti Scholastica prælecta, explicata, tandem in Hungaricum etiam idioma, ad imitationem exterarum Christianarum Gentium, à Francisco quodam Szárasi, Juvene Hungaro Doctissimo, Pastore dein Ecclesia Debretziensis, translata est.

Sectio Quinta.

Zachariam Ursinum, Catecheseos Palatinæ Auctorem fuisse adversus nubem Testium negari nequit; quod porro confirmatur testimonio Francisci Junii, qui mortuum Ursinum Oratione funebri laudavit: hoc autem ut omnibus pateat, Vitam Ursini ab exordio ad exitum paucis deducere, non erit profus inutile. Zacharias Ursinus, Uroslavia, Silesiorum Metropoli natus est, A. 1534. 18. Julii. Familia honestissima, Patre Casparo Béer, Matre Anna Rotha. In Schola Patria A. 15. ætatis, elegantis carminis et soluta orationis descriptione Scholæ Præsilibus diligentiam suam probavit, et Anno sequenti in Academiam Wittembergensem publicis missus est sumptibus, ibi Melancthonem, communem illum Germaniæ Præceptorem audivit sedulo, per biennium et amplius, Wittembergæ commoratus est quinquennium, et eximiam Lingvarum, Poëseos, Artium Philosophiæ, ac Theologiæ Scientiam studio indefesso sibi comparavit, A. 1557. de consilio Imperatoris Ferdinandi, et Principum Electorum Imperii, institutum fuit in Urbe Vangionum colloquium inter Pontificios ac Protestantes, ad id Ursinus Melancthonem sequutus est, et quæ ibi acta sunt, perspexit. Vicinas tunc urbes et Academias invisit, Geneva Calvinum audivit, dein Lutetiæ Parisiorum diutius hæsit, Lingua Gallica et Hebræa ex Mercero addiscenda gratia. Tandem Tigurum se contulit, unde ad Melancthonem reversus est, A. 1558. mense Septembri, ad Scholam Patriam Elizabethanæ gubernationem vocatus est, commissus ei erat Liber Melancthonis de examine Ordinandorum, in quo cum pervenisset ad Locum, de Cæna Domini, Melancthonem secutus, Sacramentarius proclamatus, et adversarios expertus est plurimos, quare Doctrinam suam de Baptismo et Cæna certis propositionibus complexus, quibus conveniebat, exhibuit. Doluit hoc factum Ursini Melancthonem, et hortatus est Eum per Litteras ad constantiam in vera sententia tuenda, vel ad reditum in Academiam Wittembergensem, ut se melioribus temporibus servaret. Ursinus à rixis Ecclesiasticis abhorrens, à Senatu Patrio honestam dimissionem impetravit, Patria ergo excessit, Wittembergam venit, à Professoribus pro Collega expetitus, subsistere noluit, præsciens, à morte Philippi, Academia mutationem

imminere, A. 1560. Tigurum appulit, ubi ad Johannem Frisum se contulit, atque usus est consuetudine eruditissimorum Virorum, et ab ore P. Martyris pendeat A. 1561. cum Synodo Tigurina Orthodoxam suam Doctrinam probasset, Theologi eum Heidelbergensibus commendarunt, eo enim tempore desiderabatur, et Petrum Martyrem Elector Otho Henricus expe-
tebat, verum is etatis gravitatem excusavit, atque ita Ursinus Hejdelbergam vocatus A. 1561 9. Septembris eo appulit, et Collegio Sapienciae prapositus, spartam, quam nactus erat, eruditissime ornavit A. 1562. etatis 28. titulo S. S. The Doctoris decoratus, Senatui Academico adscriptus, atque professionem Locorum communium adgressus, quos per quinquennium docuit, collegas habens. Petrum Boquinum, et Immanuelem Tremellium, Præter ordinarios ipsos in Academia et Collegio Sapienciae labores, fuit etiam adhibitus deliberationi de Catechesi Palatina; cum enim Ecclesiarum et Scholarum Ministri Dissentaneos Catechismos, unus Lutheri, alter Brentii, quidam sua commenta proponerent: Optimus Elector, ut ad harmoniam, et uniformem hypotyposin Sacrae Doctrinae cunctos revocaret, à Theologis pleniorum et planiorum Catechesim scribi iussit, id etiam ab Ursino factum cum laude, sicuti ex operibus ejus patet. A. 1563. lues pestilens Academiam dissipavit, ipse domi manens scripsit commentarium, de Mortalitate et Consolationibus Christianis, eodem Anno, Matthias Flaccius Illiricus, Heshusius et alii Catechesim Hejdelbergensem, imprimis de CHRISTI ascensione, presentia, Sacramentis, Cæna, virulentis adorti sunt scriptis, Elector hanc curam Ursino demandavit, ut scripto apologetico sinceram Catecheseos Doctrinam tueretur, censuras aliorum dilueret, quod fidelissime et felicissime præstitit. Cum autem Principes et eorum Theologi nihil magis exprobrarent Electori, quam quod in Articulo de Cæna Domini novam, peregrinam, ab Augustana Confessione damnatam doctrinam invexisset Ursinus, jussu Magistratus, nomine Collegii Theologici scripsit: Exegesim verae Doctrinae de Sacramentis et Eucharistia. A. 1564. Colloquio Mausbrunnenfi adfuit, ubi Brentii et Smidlini ubi ubi, ore et calamo explosit. Sub idem tempus Electori, illustres Scholas, Ambergæ, Hejdelbergæ, ac Neultusii Vangionum aperturo, consilio suo adfuit, Eidem adeo carus, ut cum à Bernatibus per Benedictum Aretium Hejdelbergam eo nomine missum, A. 1571. ad professionem in Academiam Lausannensem vocaretur, dimissus non est, sed beneficiis, et Collega operum Jacobo Kimedontio ornatissimus. A. 1574. composuit Confessionem Fidei de DEO, de Persona CHRISTI, et Cæna Domini, adversus vesanas cujusdam calumnias, de sermonibus Arianae Hæreseos Hejdelbergæ sparsis. Edidit etiam admonitionem Neostadianam, &c. &c. &c. Opera ejus collecta, edita tribus tomis à Filio suo, Johanne Ursino, Discipulisque v. l. Davide Pareo, et D. Quirino. Electore Friderico è vivis exempto,

exempto, mutata omnia, et Reformati omnes Doctores, cum Ursino et Kimentio dimissi, Bernates iterum invitabant A. 1557. in locum Aretii, sed Filius Electoris, Joann. Casimirus ad se vocatum, retinuit, adeoque in novam Neustadiensem Academiam, Ursinum cum Hyeronimo Zanchio collocavit, de his duobus judicavit Sturmius: Digni isti duo, ad quos ex longinquis regionibus, multi conveniant, Ursinus Auditoribus suis dicere solebat: Si quid minus in ejus praelectionibus adsequerentur, aut scrupulum haberent, id in charta consignarent, et sub finem cujusvis praelectionis ei traderent; se domi cogitaturum, et sub initium sequentis praelectionis publice responsum. Obdormivit tandem in Domino, 6. Martii 1583. aetatis suae 49. sepultus Neustadii. 8. Martii, posito ei à collegis hoc monumento: Conditum hic est Corpus Zachariae Ursini Uratislaviensis, Theologi sinceri, propulsatoris Haesum de persona et Cæna CHRISTI, voce et stilo acerrimi, Philosophi acuti, Viri prudentissimi, Moderatoris Juventutis severi. Evocati ex hac vita A. 1583. Aetat. 49. 6. Martii.

Sectio Sexta.

In Sectione tertia questi sumus, de brevissima apud Scriptores antiquiores et recentiores Hist. Univ. et Eccl. Historiæ Catechismi Palatini relatione; et tamen brevis illa relatio supra omnem dubitationis aleam posita est nequam: Equidem Casparum Olevianum, deliberationi Theologorum, jussu Electoris Friderici convocatorum de conscribenda Hypotyposi doctrinæ Reform. Ecclesiæ, interfuisse, et Catechismum Palatinum per omnia adprobasse, facile concedo, convictus et aliorum, sed inprimis testimonio Francisci Junii, idem adferentis de ordine Theologorum Palatinorum, in funebri laudatione Ursini, quam nunc statim exposui; Eum tamen Auctorem fuisse Catechismi Palatini, cum manifesto et fide digno Antiquorum Scriptorum documento vix possit probari, vehementer addubito. Scrupulum mihi movit (I.) altum de Auctore Catechismi silentium, apud nonnullos Theologos æquè ac Historicos, qui tamen de Palatino, ex professo egerunt Catechismo, hoc autem simpliciter, sine sufficiente ratione neglectum esse, persuadere mihi firmiter non potui. Missis ergo plurimis aliis, Johannes Coccejus Theologus celeberrimus, etiamsi *Explicationem Catecheseos Hejdelbergensis* scripserit, explicationique Prolegomena adpenderit. oper. Tom. VI. de Auctore interim Catechismi, ne verbo quidem meminit. *Johan. Jacobus Hofmannus* in Littera H. *Lexici sui universalis*, sub vocabulo, Hejdelberga, hæc tantum refert: *Hic cum Tilemannus Heshusius Pastor, cui se Wilhelmus Klebitius opposuit; controversias Sacramentales A. 1561. excitasset: Fridericus III. Elector, Ecclesia consulturus, utrumque honestè*

dimisit; Disputationem dein inter Theologos suos, et Turingiacos instituit, quorum bos audacia et loquentia, illos modestia, et solida veritatis simplicis adsertione esse superiores judicavit, atque ut schisma tolleretur, hypotyposin doctrinae, quae Catechesis Hejdelbergensis dicta, conscribi et publicari iussit. Quam cum Heshusius, Flaccius, alii, rursus impeterent, Colloquium Mulbrunense institutum est. A. 1564. Addeamus superiori loco, summi Theologi et Historici recentissimi, Frid. Adol. Lampe Narrationem, è Synopsi Historia Sacra et Eccl. Libr. II. Cap. xiii. Hist. N. Test. Sectione III. p. 428. Inter Confessiones Ecclesiae Reformationis, quibus publica ejus doctrina proponitur, primas tenet Catechesis Palatina, Hejdelbergae auspiciis Friderici III. Concilio Tridentino opposita, et A. 1563. bis impressa, quae deinceps à Belgis, aliisque Ecclesiis Reformatis pro Libro Symbolico habita, et Juventuti tradita. Nihil hi de Auctore Catechismi referunt; cum tamen Illius, ut scriptoris Lexici universalis: Hujus autem, ut in vitis et operibus Virorum eruditorum recensendis diligentissimi, industria et adcuratio id efflagitasse videtur. Dubitationem meam auxit, (II.) Nexus Partium, Quæstionum, Responsionum, sicut normæ, h. e. Epistolæ S. Pauli ad Romanos, Catechismi arctissimus, et indissolubilis, stili item Germanici, quo scriptus est, constans uniformitas: opus autem duorum aut plurium, nexu plerumque hiulco, et stili difformitate laborare solet. Subnatam (III.) confirmavit de Casparo Oleviano suspicionem, quod non desint celebres scriptores, qui narrationem de Catechismo ita instituunt, ut non nisi unius et solius meminerint, Zachariæ Ursini; non Oleviani. Hi sunt imprimis: Franciscus Junius, scriptor, laudator, et perorator vitæ Ursinianæ. David Pareus, Auditor, collector, et editor Explicationum Catechetiarum Zachariæ Ursini: Uterque horum meminit Ursini, tamquam Auctoris Catechismi, neuter vero Oleviani, quibus tamen et Olevianus, et ejus opera ignota esse non poterant, cum Synchroni fuerint, et Historiam Catechismi Palatini, recenter tunc conscripti et editi, adcuratissime noverrant; nec Olevianum hac gloria, nisi mera ex invidia, spoliare iis licuisset. Christoph. Matthæ. Pfaffii *Introduct. in Histor. Theolog. Literar.* Lib. II. ad §. VIII. p. 262. sub litera (Z) hæc leguntur notæ: *Constat, inter præcipuos Libros Symbolicos Reformationis esse Catechismum Hejdelbergensem, cujus Auctor extitit Zacharias Ursinus, Theologus Hejdelbergensis, qui et eundem in explicationibus Catechetiis illustravit, uti et David Pareus, cujus et Miscellanea Catechetica existant. Prodiit primum A. 1563. ex Germanico idiomate, in Latinum verterunt Josua Lagus et Lambertus Pithopæus. At vero et in Græcam aliasque Lingvas ille versus fuit, atque etiam à Synodo Dodracena in numerum Librorum*

Symbo-

Symbolicorum cooptatus, inter Reformatos plurimi sunt, qui in hunc Catechismum scripsere, ex quibus post jam laudatos eminet Johan. Coccejus. In quibus ne γού quidem de Oleviano. Ad hæc qui Adplausum scripserunt Davidi Pareo, Explicationes Catecheticas edenti, scilicet, Paulus Melissus Francus. Simon Stenius Lomacensis. Quirinus Ruterus Mostacensis Palatinus. M. Bartholomæus Kekermannus Dantiscanus. Lamb. Ludolf. Pithopæus Daventriensis, nulla Oleviani mentione facta, solum Ursinum nominant: qui etiam Catechesim soli Ursino adscribit Lamb. Ludolf. Pithopæus.

Essè Catechesis, verum, quod dico, probare,

Et methodo; et verbis, hæc tua sola potest.

Neque Versores Catecheseos in Lingvam Latinam, Josua Lagus, et Lamb. Pithopæus, nec Festus Hommius, in Tabulis suis, nec Arnoldus Montanus, meminerunt in Præfationibus suis, Caspari Oleviani. Sententiam (III.) de Zacharia Ursino, unico Catechismi Auctore commendare videtur et illud, quod de Oleviano non legatur, Eum fuisse Interpretem Catechismi, vel privatim, vel publicè, Palatini; nec Defensorem adversus calumnias Romanensium, Heshusii, Flaccii, et aliorum, cum tamen fœtus si fuisset proprius, id vix ac ne vix quidem negligi potuisset: ast Zachariam Ursinum, et Interpretem, et Defensorem Catechismi fuisse, è laudatis testimoniis, luce meridiana clarius est.

Sectio Septima.

Thesi nostræ robur non contemnendum fœneratur (V.) Johan. Piscator, in enarratione Vitæ, et Operum Caspari Oleviani, ubi nec vola, nec vestigium Catechismi occurrit, quod ut adtendenti pateat, Vitam Oleviani in compendium missam, recitabimus: Casparum Olevianum antiquissima urbs Trevirorum protulit, A. 1536. 10. Aug. Natus Patre, Gerbardo Pistorum Tribuno. Puer apud Avum educatus, et in ludum Litterarium missus, in tenera adhuc ætate, beneficio Senis cujusdam Pii Præceptoris agnoscere cœpit virtutem unici sacrificii JESU CHRISTI. A. ætat. 13. Lutetiam Parisorum missus, ut Furi Civili operam daret, ubi ut et in Scholis Aureliensi et Biturigum, Ecclesia Orthodoxa se adjunxit, atque A. 1557. Jureconsultorum ordini solemniter est adscriptus, id quod ex Francisci Duareni, atque Collegarum Ejus testimonio liquidissimè patet, sub id tempus in urbe Biturigum Friderici III. Palatini filius adolescens, cui à curis erat Nicolaus Judex, Oleviani familiarissimus, cum Præceptore et Principe Discipulo, Olevianus quodam die animi causa à prandio ad præterfluentem Ligerim egressus, offenderunt ibi Studiosos nobiles Germanos, fluvium

vium navigio transjecturos, qui Principem Adolescentem cum Ephoro ad
 trajiciendum invitabant; Olevianus autem Studiosos plusculum potos anim-
 advertens, trajectum disuadebat, sed Ephorus precibus Studiosorum vi-
 ctus, navem cum Principe conscendit: à ripa solventes ebrüi navem moti-
 tant, tandem evertunt, omnesque in aquis misere suffocantur. Præceptor
 Principis sobrius ac natandi peritus, discipulum adreptum ad ripam edu-
 cere conatus, cum inpetum aquæ sustinere non posset, ambo perierunt.
 Olevianus tristissimi casus spectator temperare sibi non potuit, quin in a-
 quas se injiceret, auxilium periclitantibus laturus, verum et ipse limosè
 in gurgite mento-tenus hærens, seriis DEUM invocat precibus, simulque
 Votum facit, si salvus evaderet, Civibus suis se Evangelium annunciaturum,
 atque ab occurrente non-nemine, salvus in ripam extractus; memor ergo
 voti, cum studio Juris sacras conjunxit Litteras, in primis Commentarios
 Joh. Calvini diligenter evolvit. Ad suos Treviros reversus rogatus, ut
 causa cujusdam patrocinium susciperet, quo in negotio, ubi animadvertet-
 ret, Jus et æquum varie torqueri, conatus vasfrictie hominum, et abusu
 Artis, ad Theologia studium animum adpulit, et Genevam profectus, to-
 tum se Theologia dedit, ubi dum ageret, Ecclesia, qua Metis colligitur,
 à Præbiterio Genevensi Ministrum petens, Olevianus et Colonius nominati
 sunt; sed Olevianus se Calvino excusavit, quod inprimis Patriæ servire sit
 obstrictus. Tigurum exinde divertit, Petri Martyris, et Bullingeri audi-
 endi gratia, ac Martyris convictu usus, coram eo concionibus habendis se-
 se exercuit. In reditu navem conscendit, qua Farellus vehebatur, et Fa-
 rello hortanti, ut quamprimum Ministerio sacro Patria sua servires, Ole-
 vianus se id facturum stipulatus est. A. itaque 1559 Treviros reversus,
 à Senatu rogatus, ut Patria docenda serviret, et centum Rhenenses pro
 sallario ei destinati, ut in Schola, Bursa dicta, Dialecticam Melancthonis
 et alias Artes traderet. In explicatione igitur Logica, usus exemplis Theo-
 logicis, occasionem nactus est, sanam Evangelii doctrinam exponendi, quod
 dum Canonici inaudivissent, munere docendi ei interdixerunt, tandem Scho-
 lam occluserunt. Fessus ergo à Senatu in Nosodochio S. Jacobi docere, sed
 adversarii Sacrificulum subornarunt, qui antequam Olevianus adesset, sug-
 gestum conscendens, concionaretur; Populus autem frequens viso Sacrifi-
 culo, clamabat, ut suggestu subito descenderet: Olevianus interea adest,
 Populum hortatur, ut eum audiant Sacrificulum, quia ipse aliam Concio-
 nem esset habiturus; sed Sacrificulo male evenisset, nisi Olevianus præ-
 hensum eum manu salvum eduxisset, eductoque eo, rogavit, num vellent
 ut Concionibus superederet, periculi metu, an velint in officio eum pro-
 gredi? Omnes responderunt: Imo rogamus Te per DEUM, pergas concio-
 nari. Ab hoc facto, Consules, Senatores, et nonnulli Cives ab Episcopo
Electores

Electore incaptivati, rogarunt ut solatii causa Olevianus ipsis adjungeretur. Hi interim per 10. septimanas captivi detenti, judicio sese stiterunt, et cum 14. dierum dilationem petiissent, nonnisi biduum impetrant, quare subito clam nuncios mittunt ad Fridericum Electorem &c. rogantes ut iis subvenirent, qui etiam inchoatum judicium inhibuerunt, et captivos libertati restituerunt. Eo igitur tempore Legatus Electoris Palatini Valentinus Comes Erpacensis, Olevianum adhuc in carcere agentem, jussu Electoris in Palatinatum invitavit, et Heidelbergam abduxit A. 1560. Ubi Praeceptor Collegii Sapientiae constitutus, et postea S.S. Theol. Doctor et Professor in Academia Heidelbergensi, deinde Pastor in eade Petrina, et Spiritus S. Hac in functione permansit ad obitum Electoris Friderici III. i. e. ad annum 1576. 26. Octobris, mox Berleburgum à Ludovico Comite Witgensteinio vocatus est ad Munus Pastorale simul et Praeceptorale. Exinde A. 1584. à Johanne Nassovio Seniore Herborem evocatus, per triennium Ministerio sacro functus est, et simul in Schola, consilio suo aperta, docuit. A. 1587. 25. Februarii, morbus eum lecto adfixit, et 11. Martii. Testamentum condidit, 12. autem Martii. Epistolam ad Filium suum Paulum, tunc in Diocesi Spirensi morbo detentum dicitavit, cui Epistola adjecit: Domine JESU! suscipe Spiritum meum, Act. 7. Moribundum Comites, et alii visitarunt, et Pastor Joh. Piscator, Vita Ejus Scriptor, ei aderat, et tandem placidam obiit mortem. A. 1587. 15. Martii, atque terra mandatus in Templo Parochiali Herborensi. Opera Ejus sunt sequentia: Concio de Abrahami Fide et obedientia. Concio de Cæna Domini. Admonitio de re Eucharistica. Tabula, de Ministerio Verbi DEI et Sacramentis. Expositio Symboli Apostolici, sive Articulorum Fidei, in qua Summa gratuiti Fœderis æterni inter DEUM et Fideles, breviter et perspicue tractatur. Epitome Institutionis Religionis Christianæ Johannis Calvinii, in usum præcipue Scholæ Herborensis, quam postea, D. Piscator imitatus Olevianum, ad Aphorismos artificiose revocavit. Uterque opusculum suum D. Beza dedicavit. Nota in Epistolam ad Galatas. Nota in Evangelia. Dialectices Lib. II. Theologicis exemplis illustrati. Theodori Beza in Epistolas Pauli ad Romanos, Galatas, Philippenses, ac Colossenses nota, à Caspári Oleviani Concionibus excerpta, ac edita. Nulla in his omnibus occurrit Catecheseos Palatinae mentio.

Sectio Octava.

Ex hætenus disputatis (VI.) colligimus: Fridericum III. Electorem Palatinum, Cognomento Pium, præter alios Theologos suos imprimis Zachariæ Urfino, et Casparo Oleviano eam demandasse curant, ut conciperent et conscriberent, hypotyposin sanæ Doctrinæ, et formulam Religionis Reformatæ, dictum, factum; sed cum duo idem faci-

unt, non semper est idem: uterque de eo fuerunt solliciti, ut Hypotyposin adornarent, sed non eandem adornarunt, quod ipsum scopo Pii Electoris, delectum formularum facere volentis, adcurate respondit. *Zacharias Ursinus conscribit Catechismum. Casparus Olevianus Fœdus Gratia.* De Zachariæ opere nullum est dubium; Oleviano autem tribuit Fœdus Gratia Joh. Piscator in Vita ejus, septima Sectione exposita. Cujus operis meminit etiam Christoph. Matthæus Pfaffius Introduct. in Hist. Theol. Literar. Lib. II. §. v. p. 216. et 230. *Observa, jam ante Coccejum, eosque, qui post eum Methodo Fœderali inhiavere, olim, hanc παιδείας τρόπον, tenuisse Gellium Snecanum, Casparum Olevianum: De Substantia Fœderis gratuiti inter DEUM et Electos, itemque de Mediis, quibus ea ipsa Substantia nobis communicatur.* Quem Librum è prælectionibus Casparis Oleviani excerptum, publica, Inlustris Collegii Bethlenii, olim Albæ, nunc in Oppido N. Enyed Residentis Bibliotheca, ex oblatione gratuita, Excellentissimi Medicinæ Doctoris, et in Urbe Metropolitana Cibiniensium præfici Ordinarii, Demini Jacobi Hutter, possidet, Genevæ editum in forma octava A. 1585. cum igitur et Catechismum et Fœdus Gratia sibi representatum recepisset Frid. III. Elector, delegit è duobus Catechismum Ursini, pro publica Ecclesiarum Palatarum formula, tamquam facilissima methodo, et usibus, et privatis, sive domesticis, et Scholasticis, et Ecclesiasticis adcommodatissima, et in Ecclesia Christiana ab antiquissimis temporibus usitatissima elaboratum; Fœdus autem Oleviani, sublimiori, recentiori et Scholastica Methodo conscriptum, institutionibus magis Academicis relictum est, atque idem Auctor ipse Caspar. Olevianus publice prælegit, sicuti Zacharias Ursinus Catechismum suum. Hæc non esse ficta; sed ex antiquissimis et fide dignis Ecclesiæ Palatinæ Monumentis eruta, (VII.) manifesto probabo documento. *Henricus Altingius, in Historia Ecclesiæ Palatinæ p. 189.-90. dicta nunc statim, his comprobat verbis: Interea Palatinis alia crevit cura domi, ad Institutionem et Gubernationem novellarum Ecclesiarum pertinens; visum Piißimo Electori, ut Corpus aliquod Doctrina conscriberetur, ex Verbo DEI, quod in Ecclesiis et Scholis ad institutionem rudiorum traderetur, idque Catechismi nomine. Nam Confessionem Augustanam non minus ipse, quam Principes Protestantes alii, receperat, eique rectè explicata inherebat. Sed Catechismo opus erat duplici de causa, una quod, cum ex ordinatione Ottonis Henrici Brentianus admissus esset, Heshusius insuper introduxisset Catechismum Lutheri, privata auctoritate, et de utroque contenderetur, alii vero alios Catechismos, vel aliunde acceptos, vel à se conscriptos adderent, quæ res perpetuas rixas dabat in Ecclesia. Altera est, ut una et consentiens forma Doctrina proponeretur per omnes Palatinas Ecclesi-*

Ecclesias, in qua cum alia capita doctrinae, tum imprimis ea, quae agunt de Persona CHRISTI et Sacramentis, Baptismo et Cæna, orthodoxè ac dilucidius declararentur. Id negotii datum duobus Theologis Oleviano et Doct. Ursino 1562. tamquam Germanis, et Germanicè scribere doctis, et uterque seorsim in chartam coniecit ejus specimen, Olevianus populari declaratione Fœderis Gratia; Ursinus scripto duplici Catechismo, Majore pro perfectioribus, Minore pro junioribus, ex utroque (: hoc Catechismo:) contracta est Catechesis Palatina, quae à loco natali Heidelbergensis adpellari solet. Methodus est Analytica, conformata dispositioni Paulinae in Epistola ad Romanos. Primo enim proponitur finis in consolatione Christiana, Rom. I. 16, 17. Deinde subjunguntur media ad eam adipiscendum necessaria, tria numero, in agnitione Misericordiae, cap. I. 2. 2. Liberationis à cap. III. 27. ad cap. XII. et Gratitude, à cap. XII. usque ad finem. Cum absolutum esset opusculum Catecheticum, et Electori exhibitum, is convocatis principibus Inspectoribus et Pastoribus Palatinis Heidelbergam, anno jam declinante id eis censendum dedit: qui diligenter examinatum religiose expensum ad normam Verbi Divini, adprobarunt, commendarunt et evulgari publica auctoritate petierunt. Simul vero mandatum Josuae Lago Ecclesiae Heidelbergensis tum Ministro, et Lamberto Pithopæo, qui Daventria Heidelbergam venerat, ut Pædagogiarcbam capesseret, ut in Latinam Linguam transferrent novum Catechismum, quo ita utraque Lingua in usum tam Scholarum, quam Ecclesiarum edi posset, quod ab ipsis cum cura præstitum. Successit Annus 1563. quo ineunte Elector Palatinus Catechismum insigni præfatione ornatum, utraque Lingua publicari, et mox in omnes Palatinatus ad Rhenum Ecclesias, ac Scholas introduci jussit: ita quidem, ut semel quotannis totus ad captum rudiorum explicetur, et repetendo inculcetur. Unde factum, ut Doctor Ursinus, qui Sapientia Collegio præerat, anniversarium hunc morem constanter ad annum usque 1577. observavit, et quotannis explicationibus suis Textum Catecheticum illustravit. Ex iis variè repetitis natum est opus Catecheticum, à morte Auctoris editum Neostadii, Geneva, et Leydæ 1584. post subinde auctum, et interpolatum à Doctore Pareo, Ursini Discipulo solertissimo. Illud tamen hic prætereundum non est, cum in prima Editione Catechismi non haberetur Quæstio octuagesima, quatenus explicatur discrepantia Cænae Domini et Missæ Papisticæ, statim altera Editione hujus anni 1563. ex speciali Electoris mandato addita, et suo loco inserta fuerit. Absque dubio, ut abominanda corruptio Cænae Dominice, quae in Missa fuit, detegeretur, et hoc veluti characterismo Ecclesiae Reformatae à Papisticis discernenterentur. Cum hæc tam clara sint, ut qui ea non perspicit, eum ad lucem meridianam cœcutire oporteat: Ergo, nisi omnia me fallant, pace vulgaris et inveteratæ opinionis, fas tandem est

concludere: *Zachariam Ursinum, solum et unicum esse Catechismi Palatini, Heidelbergensis Auctorem*, quod erat mihi Argumentis Historicis demonstrandum. Equidem non libidine dissentiendi, non pruritu novaturiendi, sed rationum, ut mihi videtur, solidarum in Historia, momenti inductus, secessi à vulgari opinione: et tamen hanc Thesin, nemini obrudo, non est fundamentum Fidei salutaris, incolami liberum erit dissentire amicitia. Abundare sensu ingenii sui cuilibet licet; Ego autem semper futurus sum paratissimus, meliora et solidiora docentibus, summa cum gratiarum actione cedere et obsequi.

Sectio Nona.

Actum hactenus, pro scopo nostro, sic satis est, de tribus Libris Ecclesiæ Ref. Symbolicis, v. l. *Augustana, et Helvetica Confessionibus*, nec non de *Catechismo Palatino Heidelbergensi*. Diximus in §. Diss. n. 1. His addi merentur, Conclusa Synodi Nationalis Dordrechtanæ; conclusio enim Patrum S. Synodi sic se habet: *Atque hæc est perspicua, simplex et ingenua Orthodoxæ de quinque Articulis, in Belgio contraversis, doctrina declaratio, et errorum, quibus Ecclesiæ Belgicæ aliquamdiu sunt perturbata, rejectio, quam Synodus ex Verbo DEI desumptam, et Confessionibus Reformatarum Ecclesiarum consentaneam esse judicat*. In gratiam ergo Studiosæ Juventutis Scholasticæ, cujus pars præcipua Actis Synodi Dordrechtanæ caret, enarrabo, prius S. Synodi Historiam; cui Judicium S. Synodi paucis per modum Adpendicis adjiciam; ut liquido adpareat, hodiernos Gente in nostra prurientes animos, Libros Ecclesiæ Reformatæ Symbolicos, è Verbo DEI repetitos, frustra in præsidium erroris Erasimiani et Remonstrantismi protrahere; aut profecto citra omnem veritatem, æquitatem, et caritatem calumniis maculare: vel enim vehementer fallor; vel augurium meum certo certius verissimum est, eos omnes, sive in gremio Ecclesiæ nostræ Reformatæ erroneis suis opinionibus, qui turbulenti et tumultuosi esse volunt, sive exitum de Ecclesia Reformatata meditentur, sensum Verbi DEI orthodoxum, formulas consensûs, et Libros Eccl. Ref. Symbolicos aut nunquam legisse, contulisse, aut certe occultas ob rationes, mundanos ob respectus; data opera oculos, ne videant, clausisse, cor, ne veritatem radicaliter recipiant, indurasse, atque luci salutari tenebras offudisse. Ex innumero Scriptorum Historiæ Synodi Dordrechtanæ, et Eruditione celeberrimorum, et Fide dignissimorum numero, compendio litaturus, deligam mihi hanc in rem Neotericum Historicum, cujus Manuali utor in prælectionibus meis Historicis, is est, *Fridericus Adolph. Lampe*, qui prolixas aliorum laudata de Synodo narrationes, *Hist. Eccl. N. Test. Lib. II. Cap. xiiii. §. xx. xxi.*

p. 443-45. hoc modo refert. *Gravius in Belgio exarsit schisma, ob defectum enim Pastorum admoti ad Ministerium, qui praambulone Diderico Kornberto, de Praedestinatione, Vocatione ad Salutem, et affnibus dogmatibus non satis recte sensisse visi sunt, deque Confessione Belgica ac Catechesi Palatina varias quaestiones moverant, inter quos numerantur Casparus Colbadius, Hermannus Herbertus, Cornelius Viggerus. Horum vestigiis insistentes Jacobus Arminius in quinque his potissimum Articulis, à Communi Reformatorum sententia discessit: (1.) Praedestinationis Decretum non esse absolutum. (2.) Meritum CHRISTI esse universale. (3.) Liberum Arbitrium non praedeterminari. (4.) Gratiae operationem in conversione non esse irresistibilem. (5.) Vere fideles vera Fide excidere posse. Super hac capita acerrima primo suborta est inter Arminium et Gomarum lis, Disputatio quoque coram Ordinibus ab iisdem A. 1608. habita, cui Arminius non diu supervixit. Cum A. 1610. assecla Ejus offerrent Ordinibus Libellum sub nomine Remonstrantia, nomen Remonstrantium obtinuerunt, et Reformati à Contra-Remonstrantia, Contra-Remonstrantes dicti sunt. Ut, hac dissidii fax extingveretur, instituta est collatio Hagienfis A. 1611. cui adfuere ex Remonstrantibus, Joh: Utenbogardus, Adrianus Borrius, Joh: Arnoldus Corvinus, Nicolaus Grevinchovius, Eduardus Poppius, et Simon Episcopus. Ex Contra-Remonstrantibus, Festus Hommius, Petrus Plancius, Libertus Fraxinus, Ruardus Aconius, Johannes Betius, Johannes Bogardus. Secuta Collatio Delphensis, A. 1613. Cum interea plaga hiare pergeret, Synodus Nationalis Dodracena conscripta est, in qua invitati comparuere Theologi Angli, Palatini, Brandenburgici, Helveti, Genevenses, Nassovii, Bremenses et Embdenses. Praeses Synodi erat, Johannes Bogermannus, qui 13. Novembris A. 1618. eam aperuit. Invitati ad eandem sunt Remonstrantes, sed quum ii iniqua viderentur postulare, non sine acrimonia dimissi sunt. Absoluta est hac Synodus d. 26. April. 154. Sessionibus, Condemnati errores quinque Articulorum. Adprobata et confirmata Confessio Belgica, nec non Catechesis Palatina. Versio Bibliorum nova decreta est. Effectum ejus fuit dissipatio Ecclesiarum Remonstrantium, conjuncta cum depositione, et severa relegatione omnium illius partis Professorum et Ministrorum. Praecipua hujus severitatis causa fuit, suspicio non vana, quinque Articulos apud multos prae-textum tantum esse, ipsumque virus Socianismi sub hac specie latere. Libertatem tamen Sacrorum Remonstrantibus Henricus Fridericus, Auriacus A. 1630. reddidit. Singularem eruditionis omnis in hac Secta famam nactus est Hugo-Grotius, varus fatis circumactus, syncretismo nimis studens, caetera ad stuporem doctus. Addi merentur, Daniel Tilenus, Gerh. Joh. Vossius, Petrus Bertius. Affinis fuit controversia de Gratia Universalis, quam non tantum*

Theologi quidam in Synodo Dodracena, Bremenses imprimis, sed etiam in Britannia Bancroftus, Davenantius, Wardus, ipseque in extremis Rex Jacobus; in Gallia Amyraldus, Placeus, aliique magni nominis Theologi defenderunt. Celebrata ea propter est Synodus Alenzonii, multis deputatorum exauctorationem Amyraldi urgentibus, aliis cum honore eum dimittentibus, silentio utrique parti inposito, propior tamen transactio inter eum et adversarios ejus A. 1649. instituta est. Processum laudatæ Synodi in causa Arminianorum, sive Quinqarticulanorum legitimum fuisse, defenderunt et Patres Synodi, et Batavi recentiores plurimi. Remonstrantes autem de injuria sibi suisque illata questi sunt, et hodieum queruntur, id patet ex Relatione Historica De Origine et Progressu Controversiarum in Fœderato Belgio, de Prædestinatione et Capitibus adnexis: in adpendice Theologiæ Christianæ Philippi à Limborch. Quæstioni huic me inmittere nec scopus Dissertationis, nec animus fert, id observasse sufficit: Veritatem Scripturariam hac in Synodo triumphasse, id quod ex sequentibus candido Lectori patefcet.

Sectio Decima.

Judicium Synodi Nationalis Reformatarum Ecclesiarum Belgicarum, habitæ Dordrecht A. 1618. et 1619. De quinque Doctrinæ Capitibus in Ecclesiis Belgicis controversis, cum adprobatione et subscriptionibus insignium Theologorum Ref. Magnæ Britanniæ, Belgii Fœderati, Palatinatus Electoralis, Hassiæ, Helvetiæ, correspondentiæ Wedderavicæ, Genevensis, Bremensis et Embdanæ, primo in forma quarta editum A. 1619. et 6. Maji promulgatum cum Privilegio Ordinum Generalium Belgii Fœderati. Huic præmissa est præfatio, quam excipit sententiæ Orthodoxæ propositio, et heterodoxæ rejectio, per quinque capita controversa. Adnexa his sunt, Conclusio Generalis, subscriptionibus corroborata, item Sententia Synodi de Remonstrantibus, nec non Adprobatio Illustrissimorum, ac Præpotentum Dominorum D. D. Ordinum Generalium. Nos summa tantum rerum fastigia decerpemus, antitheses, thesibus subnectendo, quo ita contraria juxta se posita clarius elucescant. *Sententia de Divina Prædestinatione, et adnexis capitibus, quam Synodus Dordrechtana Verbo DEI consentaneam, atque in Ecclesiis Reformatis hætenus receptam esse, judicat, quibusdam Articulis exposita. Primum Doctrinæ caput, de Divina Prædestinatione.*

Cap. I. Articulus primus. Cum omnes homines in Adamo peccaverint, et rei sint facti maledictionis et mortis æternæ, DEUS nemini fecisset injuriam, si universum genus humanum in peccato et maledictione relinquere, ac propter peccatum damnare voluisset. Rom. III. 19.

III. 19. 23. VI. 23. *Verum in hoc* manifestata est Caritas DEI, quod 2.
 Filium suum unigenitum in mundum misit, ut omnis qui credit in
 Eum non pereat, sed habeat vitam æternam, 1. Joh. IV. 9. Joh. III. 16.
Ut autem homines ad Fidem adducantur, DEUS clementer lætissimi 3.
 hujus nuncii Præcones mittit, ad quos vult, quorum ministe-
 rio homines ad resipiscentiam, et fidem in CHRISTUM crucifi-
 xum vocantur. Rom. X. 14. 15. *Qui huic* Evangelio non credunt, 4.
 super eos manet ira DEI, qui vero illud recipiunt, et Servatorem
 JESUM vera ac viva fide amplectuntur, illi per ipsum ab ira DEI,
 et interitu liberantur, ac vita æterna donantur. *Incredulitatis* istius 5.
 us, ut et omnium aliorum peccatorum causa seu culpa neutiquam
 est in DEO, sed in homine. Fides autem in JESUM Christum et
 salus per ipsum, est gratuitum DEI donum, Ephes. II. 8. Phil. I. 29.
Quod autem aliqui in tempore fide à DEO donantur, id ab æterno 6.
 ipsius decreto provenit. Act. XV. 18. Eph. I. 11. secundum quod
 decretum Electorum corda, quantumvis dura, gratiosè emollit, et
 ad credendum inflectit, non electos autem justo DEI judicio, ma-
 litia et duritia suæ relinquit. Atque hic potissimum sese nobis aper-
 rit profunda, misericors pariter et justa, hominum æqualiter per-
 ditorum discretio; sive decretum illud *Electiois et Reprobationis*
 in Verbo DEI revelatum. Quod ut perversi, impuri et parum sta-
 biles, in suum detorquent exitium; ita sanctis et religiosis animabus
 ineffabile præstat solatium. *Est autem Electio*, immutabile DEI 7.
 propositum, quo ante jacta mundi fundamenta ex universo genere
 humano, ex primæva integritate in peccatum et exitium sua culpa
 pro lapsu, secundum liberrimum voluntatis suæ beneplacitum, ex
 mera gratia, certam quorundam hominum multitudinem, aliis nec
 meliorum, nec digniorum, sed in communi miseria cum aliis ja-
 centium, ad salutem elegit in Christo, quem etiam ab æterno Me-
 diatorem et omnium Electorum Caput, salutisque fundamentum
 constituit; atque ita eos ipsi salvandos dare, et ad ejus communi-
 onem per Verbum et Spiritum suum efficaciter vocare ac trahere;
 seu vera fide donare, justificare, sanctificare, et potenter in Filii
 sui communionem custoditos tandem glorificare decrevit, ad demon-
 strationem suæ misericordiæ, et laudem divitiarum gloriosæ suæ
 gratiæ, Eph. I. 4, 5, 6. Rom. VIII. 30. *Hæc Electio* non est multiplex, 8.
 sed una et eadem omnium salvandorum in Vetere et Novo Testa-
 mento, quandoquidem Scriptura unicum prædicat beneplacitum,
 propositum, et consilium voluntatis DEI, quo nos ab æterno ele-
 git et ad gratiam, et ad gloriam, et ad salutem, et ad viam sa-
 lutis,

9. lutis, quam præparavit, ut in ea ambulemus. *Eadem hæc Electio facta est non ex prævisâ Fide, fideique obedientia, sanctitate, aut aliqua bona qualitate et dispositione, tamquam causa seu conditione in homine eligendo prærequisita; sed ad fidem, fidei obedientiam, sanctitatem &c. Ac proinde Electio est fons omnis salutaris boni, unde fides, &c. profluunt, Eph I. 4. Causa vero hujus gratuitæ Electionis, est solum DEI beneplacitum, non in eo consistens, quod certas qualitates, seu actiones humanas, ex omnibus possibilibus; in salutis conditionem elegit; sed in eo, quod certas quasdam personas ex communi peccatorum multitudine sibi*
10. *in peculium adscivit. Rom IX. 11, 12, 13. Actor XIII. 48. Atque ut DEUS ipse est sapientissimus, immutabilis, omniscius, et omnipotens, ita Electio ab ipso facta nec interrumpi, nec mutari, revocari, aut abrumpi, nec Electi abjici, nec numeros eorum minui potest. De hac æterna et immutabili sui ad salutem electione, electi suo tempore, variis licet gradibus, et dispari mensura, certiores redduntur, non quidem arcana, et profunditates DEI curiosè scrutando, sed fructus Electionis infallibiles, in Verbo DEI designatos, ut sunt fides, &c. in sese cum spirituali gaudio et sancta voluptate observando. Ex hujus Electionis sensu et certitudine, Filii DEI majorem in dies sese coram DEO humiliandi, misericordiam ejus venerandi, se ipsos purificandi, DEUM ardentè redamandi materiam desumunt; tantum abest, ut hac Electionis doctrina, in lege observanda segniores, aut carnaliter securi redantur. Quod iis justo DEI judicio solet accidere, qui de Electionis gratia, vel temere præsumentes, vel otiosè et proterve fabulantes, in viis electorum ambulare nolunt. Ut autem doctrina de Divina Electione, per Prophetas, Christum, et Apostolos semper est prædicata, et sacris Litteris commendata, ita hodie in Ecclesia DEI, religiosè, sanctè, suo loco et tempore est proponenda,*
11. *ad gloriam DEI, et vividum populi ejus solatium. S. Scriptura testatur, non omnes homines esse electos, sed quosdam in æterna DEI Electione præteritos, quos DEUS ex liberrimo, justissimo, irreprehensibili, et immutabili beneplacito decrevit, in communi miseria, in quam se sua culpa præcipitarunt, relinquere, nec salvifica fide, et conversionis gratia donare, sed in viis suis, et justo judicio, relictos, tandem ob infidelitatem et cætera omnia peccata, ad declarationem justitiæ suæ damnare, et æternum punire. Atque hoc est decretum Reprobationis, Deum nequiquam peccati Auctorem, sed tremendum, irreprehensibilem, justum judicem ac*
12. *vindi-*

vindicem constituens. *Qui vivam in Christum fidem, pacem conscientia, et gloriationem in Domino nondum efficaciter sentiunt, ordinariis tamen utuntur mediis, si Reprobis se accensere, vel desperare non debent, sed diligenter pergant in usu mediorum, ubertorem gratiam humilime et ardentem desiderent, ut in via pietatis et fidei proficiant, DEUS enim linum fumigans non extingvet, arundinem quassatam non franget: Qui autem DEI et Servatoris obliti, mundi curis, et carnis voluptatibus se rotos manciparunt, nisi serio convertantur, iis Reprobationis Doctrina terrori est. Cum Liberi Fidelium in Verbo DEI dicantur sancti, non natura sua, sed beneficio Fœderis gratuiti, in quo cum Parentibus comprehenduntur, pii Parentes de eorum electione et salute, et si infantes moriantur, dubitare non debent. Adversus gratuite Electionis gratiam, et justæ Reprobationis severitatem obmurmuranti, opponimus illud Apostoli, Rom. IX. 20. et illud Servatoris. Matt. XX. 15. Nos vero hæc mysteria religiosè adorantes cum Apostolo exclamamus. Rom. XI. 33. 34. 35. 36.*

Sectio Undecima.

Exposita Doctrina Orthodoxa de Electione et Reprobatione; Synodus *rejecit errores* Eorum, *Qui docent primo: Voluntatem DEI de servandis credituris, et in fide fideique obedientia perseveraturis, esse totum et integrum Electionis ad salutem decretum, nec aliud de eo in Verbo DEI esse revelatum. Hi enim simplicioribus inponunt, et Scripturis contradicunt. Job. XVII. 6. Act. XIII. 48. Ephes. I. 4. Electionem DEI ad vitam æternam esse multiplicem: generalem, singularem, completam, incompletam; ad fidem, ad salutem, &c. Hoc enim est commentum, doctrinam Scripturæ de Electione corrumpens, et auream salutis catenam dissolvens, Rom. VIII. 30. DEI beneplacitum in eo consistere, quod DEUS ex omnibus conditionibus possibilibus, actum fidei; in sese ignobilem, et obedientiam fidei imperfectam, in salutis conditionem elegerit, eam pro perfecta, et vita æterna digna reputare voluerit. Hoc enim pacto beneplacitum DEI, et Christi meritum enervatur, homines à veritate justificationis gratuita, et simplicitate scripturarum avocantur, illudque Apostoli falsi arguitur. 2 Tim. I. 9. In Electione ad fidem hanc conditionem prærequiri, ut homo lumine naturæ rectè utatur, sit probus, humilis, et ad vitam æternam dispositus, quasi ab istis Electio aliquatenus pendeat. Pelagium enim sapiunt, et minime obscure falsi insimulant Apostolum*

5. lum aliter scribingentem, Ephes. II. 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9. *Electiōnem singularium personarum ad salutem incompletam, factam esse ex prævīsa fide, &c. inchoata, aut aliquamdiu continuata: completam vero ex prævīsa fidei, &c. finali perseverantia; ac proinde fidem, &c. non esse fructus Electiōnis inmutabilis ad gloriam, sed conditiones, et causas sine quibus non. Id quod toti S. Scripturæ repugnat, quæ aliud cordibus nostris ingerit. Rom. IX. 11. Act. XIII. 48. Ephes.*
6. I. 4. Joh. XV. 16. Rom. XI. 6, 1 Joh. IV. 10. *Non omnem Electiōnem ad salutem inmutabilem esse, sed quosdam electos, nullo DEI decreto obstante, perire posse et æternum perire. Quo errore et DEUM mutabilem faciunt, et consolationem piorum de electiōnis suæ constantia subvertunt, et Scripturis contradicunt. Matt.*
7. XXIV. 24. Joh. VI. 39. Rom. VIII. 30. *Electiōnis inmutabilis ad gloriam, nullum in hac vita esse fructum, nullum sensum, nullam certitudinem, nisi ex conditione mutabili et contingente. Præterquam enim quod absurdum sit ponere certitudinem incertam, ad-versantur, hæc experientiæ sanctorum, qui et sensu electiōnis sui gaudent, quod nomina eorum scripta sint in caelis. Luc. X. 20. Qui sensum electiōnis tentationum telis obponunt. Rom. VIII. 33.*
8. *DEUM neminem ex mera sua justa voluntate decrevisse in lapsu Adæ, et in communi peccati et damnationis statu relinquere; aut in gratiæ ad fidem et conversionem necessariæ communicatione præterire. Stat enim illud: Quorum vult miseretur, &c. Rom IX. 18.*
9. Matt. XIII. 11. XI. 25, 26. *Causam cur DEUS ad hanc potius, quam ad aliam Gentem Evangelium mittat, non esse merum et solum DEI beneplacitum; sed quod hæc Gens melior, et dignior sit ea, cui Evangelium non communicatur. Reclamat enim Moses, populum Izraëliticum sic adloquens: En Jehova DEI tui sunt caeli. &c. Deut. X. 14. 15. Et Christus: Ve tibi Chorazim! Ve tibi Bethsaida! Matt. XI. 21. Tantum de primo Controversiæ Articulo.*

Sectio Duodecima.

- Cap. II. *Secundum Doctrinæ Caput, de Morte Christi, et hominum per eam redemptione. Articulus primus: DEUS non tantum est misericors, sed etiam summe justus, postulat autem justitia, ut peccata nostra, temporalibus et æternis, animi et corporis pœnis puniantur, nisi justitiæ DEI satisfiat. Nos satisfacere cum non possumus, DEUS ex inmensa sua misericordia Filium suum unigenitum nobis Sponforem dedit, qui pro nobis satisfactorius, peccatum*
- et ma-

et maledictio, in cruce vice nostra factus est. *Hæc Mors Filii DEI* 3.
 est unica et perfectissima pro peccatis victima et satisfactio, infi-
 niti valoris et pretii, abunde sufficiens ad totius mundi peccata
 expianda. *Mors est tanti* valoris, quia Christus est non tantum 4.
 verus et perfectè sanctus Homo, sed et Filius DEI unigenitus,
 cum Patre et Spiritu S. unus et cœternus DEUS. *Promissio* Evan- 5.
 gelica de servandis in Christum credentibus, omnibus hominibus
 promiscuè annunciari debet, cum respicientiæ et fidei mandato.
Quod multi vocati nec respiciant, nec credant, sed in infidelitate 6.
 sua pereant, non fit hoc victimæ Christi in cruce oblatae insufficien-
 tiâ; sed propria ipsorum culpa. *Quotquot* autem vere credunt, 7.
 et per mortem Christi à peccatis, et interitu liberantur, iis hoc
 beneficium ex sola DEI gratia, quam nemini debet, ab æterno ipsis
 in Christo data, obtingit. *Voluit enim* DEUS liberrime et gratio- 8.
 sissime, ut Christus per sanguinem crucis, ex omni Populo, Tribu,
 Gente, et Lingva, eos omnes et solos, qui ab æterno ad salutem
 electi, et à Patre ipsi dati sunt, efficaciter redimeret, fide donaret,
 ab omnibus peccatis, originali, actualibus, ante et post fi-
 dem commissis, sanguine suo mundaret, ad finem usque fideliter
 custodiret, tandemque absque omni labe, et macula gloriosos cor-
 ram se sisteret. *Hoc consilium*, ex æterno erga electos amore pro- 9.
 fectum ab initio mundi in præsens usque tempus, frustra obniten-
 tibus inferorum portis, potenter inpletum fuit, et deinceps quo-
 que inplebitur: ita quidem ut electi suis temporibus in unum col-
 ligantur, et semper sit aliqua credentium Ecclesia, in sanguine
 Christi fundata, quæ illum Salvatorem suum, qui pro ea, tam-
 quam sponsus pro sponsa, Animam suam in cruce exposuit, con-
 stanter diligat, atque hic et in omnem æternitatem celebret.

Sectio Decima-tertia.

Exposita Doctrina Orthodoxa, *rejecit Synodus errores* eorum, *Reje-*
 qui docent *primo*: *Quod DEUS* Pater Filium suum in mortem *ctio*
 crucis destinaverit, sine certo ac definito consilio quemquam no- 1.
 minatim salvandi, adeo ut impetrationi mortis Christi sua necessi-
 tas, utilitas et dignitas facta, testâ, et numeris suis perfectâ, com-
 pleta ac integra constare potuisset, etiam si impetrata redemptio
 nulli in dividuo umquam actu ipso fuisset adplicata. Hæc adser-
 tio DEI Patris sapientiæ, merito Christi contumeliosa, et Scrip-
 turæ contraria est. Joh. X. 15-27. Esa. LIII. 10. Denique Artic-
 lum Fidei, quo Ecclesiam credimus, evertit. *Non fuisse* hunc fi- 2.
 nem

- nem mortis Christi, ut novum gratiæ Fœdus sanguine suo re ipsa sanciret; sed tantum, ut nudum jus Patri acquireret, quodcunque fœdus, vel gratiæ, vel operum, cum hominibus denuo ineundi. Hoc enim repugnat apertè Sacræ Scripturæ. Heb. VII. 22. IX. 15, 17.
3. *Christum per suam* satisfactionem nullis certo meruisse ipsam salutem et fidem, qua hæc Christi satisfactio ad salutem efficaciter applicetur, sed tantum Patri acquisivisse potestatem, vel plenariam voluntatem, de novo cum hominibus agendi, et novas quascunque vellet condiciones præscribendi, quarum præstatio à libero hominis arbitrio pendeat, atque ideo fieri potuisse, ut vel nemo; vel omnes eas impleant. Hi enim de morte Christi nimis abjectè sentiunt, primarium fructum, per eam partem non agnoscunt, et Pelagii errorem ab inferis revocant. *Fœdus illud* novum gratiæ, quod DEUS Pater per mortis Christi interventum cum hominibus pepigit, non in eo consistere, quod per fidem, quatenus meritum Christi apprehendit, coram DEO justificemur et salvemur; sed in hoc, quod DEUS abrogata perfectæ obedientiæ legalis exactione, fidem ipsam et fidei obedientiam imperfectam, pro perfecta Legis obedientia reputet, et vitæ æternæ præmio gratiose dignam censeat. Hi enim contradicunt Scripturæ. Rom. III. 24, 25. et cum Socino peregrinam hominis coram DEO justificationem, contra totius Ecclesiæ consensum inducunt. *Omnes homines* in statum reconciliationis et gratiam fœderis esse adsumptos, ita ut nemo propter peccatum originale sit damnationi obnoxius, aut damnandus, sed omnes ab istius peccati reatu sint immunes. *Qui interpretationis et adplicationis* distinctionem usurpant, ut in causis hanc opinionem instillant; DEUM, quantum ad se attinet, omnibus hominibus ex æquo ea beneficia voluisse conferre, quæ per mortem Christi adquiruntur; quod autem quidam præ aliis participes fiant remissionis peccatorum, et vitæ æternæ, discrimen illud pendere ex libero eorum arbitrio, se ad gratiam indifferenter oblatam adplicante. Nam isti, dum simulant, se hanc distinctionem sano sensu proponere, populo perniciosum Pelagianismi venenum conantur propinare. *Christum pro iis*, quos DEUS summè dilexit, et ad vitam æternam elegit, mori non potuisse, nec debuisse, nec mortuum esse, cum talibus morte Christi non sit opus. Hi enim contradicunt S. Scripturæ, Gal. II. 20. Rom. VIII. 33. Joh. X. 15. Joh. XV. 12, 13.

Sectio Decima-quarta.

Tertium et Quartum Doctrina Caput, de Hominis corruptione et conversione ad DEUM, ejusque modo. Articulus primus: Homo ab initia ad imaginem DEI conditus sapiens, justus, sanctus, sed diaboli instinctu, et libera sua voluntate, à DEO deficiens, donis illis se orbavit, et cœcitatem, tenebras, vanitatem, perversitatem, malitiam, rebellionem, duritiam, impuritatem denique in omnibus adfectibus contraxit. Homo post lapsum ita corruptus, corruptos procreavit liberos, corruptione ab Adamo in omnes, excepto Christo, posteros, non per imitationem Pelagianam, sed per vitiosæ naturæ propagationem, justo DEI judicio derivata. Omnes ergo homines, in peccato concipiuntur, filii iræ nascuntur, inepti ad omne bonum salutare. propensi ad malum, et absque Spiritu S. regenerante, ad DEUM redire, naturam depravatam corrigere, ad ejus correctionem se disponere nec volunt, nec possunt. Residuum quidem est post lapsum, lumen aliquod naturæ in homine, de DEO, rebus naturalibus, honesto, turpi, virtutis, disciplinæ externæ studio; sed hoc non sufficit ad salutarem DEI cognitionem, et sinceram conversionem, nec homo in naturalibus et civilibus recte utitur eo lumine, sed id variis modis contaminat, in injustitia detinet, atque ita coram DEO inexcusabilis redditur. Qua luminis naturæ, eadem est ratio Decalogi Mosai- ci, is enim etsi peccati magnitudinem retegat, et hominem reum peragat, nec tamen potest homo per eum salutarem obtinere gratiam: quia nec remedium sufficiens, nec vires ex miseria emergendi confert. Quod igitur nec lumen naturæ, nec lex potest, id Spiritus S. virtute præstat DEUS, per Evangelium de Messia, per quod placuit DEO credentes tam in Veteri, quam Novo Testamento servare. Hoc voluntatis suæ mysterium olim paucioribus patefecit, hodie DEUS pluribus manifestat, ex liberrimo suo beneplacito, non ex merito hominum. Per Evangelium omnes serio vocantur, DEUS enim verissime ostendit in verbo suo, quid sibi gratum sit, ut vocati ad se veniant; serio etiam ad se venientibus promittit requiem et salutem æternam. Quod multi vocati non convertantur, culpa non est in Evangelio, nec in Christo oblato, nec in DEO vocante, sed in vocatis, alii enim verbum non admittunt, alii in cor non inmittunt, alii spinis sæculi suffocant. Quod Servator noster feminis Parabolâ docet. Matt. XIII. Quod autem alii vocati convertuntur, id non est adscribendum libero

Cap.

III.

et

III.

Art.

1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

9.

10.

- hominis arbitrio, quod superba Pelagii hæresis statuit; sed unice DEO, qui ut suos ab æterno in Christo elegit, ita eosdem in tempore efficaciter vocat, fide et resipiscentia donat, è potestate tenebrarum erutos, in regnum Filii sui transfert, ut virtutes
11. ejus prædicent, et non in se, sed in Domino glorientur. *Quando DEUS*, in electis hoc suum beneplacitum exequitur, iis non tantum externè curat Evangelium prædicari; sed per Spiritum S. mentes illuminat, ut ea, quæ DEI sunt, intelligant, efficacia regenerante cor aperit, emollit, circumcidit, novas qualitates infundit, recreat, resuscitat, dat velle, dat obsequi, ut ceu arbor bona, fructus bonarum actionum proferre possit. *Atque hæc illa est*, in Scripturis celebrata regeneratio, nova creatio, vivificatio, quam DEUS sine nobis, in nobis operatur. Ea tamen non fit per solam moralem svasionem, ut in hominis potestate maneat regenerari, vel non regenerari, sed est plane supernaturalis, potentissima, svavissima, mirabilis, arcana et ineffabilis operatio, adeo ut omnes illi, in quorum cordibus, admirando hoc modo DEUS operatur. Certo, infallibiliter et efficaciter regenerentur, et actu credant, atque tum voluntas à DEO acta, agit et ipsa. Quam ob rem etiam homo ipse per gratiam istam acceptam, credere et resipiscere rectè dicitur. *Modum bujas* operationis fideles in hac vita plene comprehendere non possunt, in eo interim adquiescentes, quod per istam DEI gratiam, se corde credere, et Servatorem suum diligere sciant ac sentiant.
 12. *Fides non* offertur à DEO hominis arbitrio, nec consensum sive actum credendi ab hominis arbitrio expectat; sed est donum DEI, hominì re ipsa collatum, inspiratum, infusum, qui et velle credere, et ipsum credere in homine efficit, atque ita omnia operatur in omnibus. *Hanc gratiam* DEUS nemini debet, qui ergo illam accepit, soli DEO æternas debet et agit gratias, qui eam non accepit, aut spiritualia non curat, aut se accepisse inaniter gloriatur. Qui externè fidem profitentur, et vitam emendant, optimè loquendum de iis et judicandum est. Pro iis, qui nondum vocati, et regeniti, orandus est DEUS, neutiquam tamen superbiendum, ac si nosmet discrevissemus.
 13. *Sicuti per lapsum* homo, non desit esse homo, et peccatum naturam hominis non sustulit, sed depravavit; ita divina regenerationis gratia non agit in hominibus tamquam truncis et stipitibus, nec voluntatem tollit, aut violenter cogit; sed spiritualiter vivificat, sanat, corrigit, flectit; ut ubi antea dominabatur rebellio, et resistentia, jam regnare incipiat prompta, sincera, spiri-
 14. tûs

tus obedientia, in quo vera voluntatis nostræ instaurationis et libertas consistit, &c. *Quemadmodum* DEUS, in producenda et sustentanda vita nostra, non excludit usum mediocum; neque prædicta supernaturalis DEI operatio excludit, aut evertit usum Evangelii, quod DEUS in semen regenerationis, et cibum animæ ordinavit, Quare ut Apostoli et eos qui secuti sunt Doctores, de Gratia hac DEI ad ejus gloriam et omnis superbiæ depressionem, pie populum docuerunt, neque tamen interim sanctis Evangelii monitis, sed Verbi, Sacramentorum, et disciplinæ exercitio eum continere neglexerunt: Ea ergo nec hodie sunt separanda, quæ DEUS pro suo beneplacito voluit esse conjuncta. 17.

Sectio Decima-quinta.

Exposita Doctrina orthodoxa, Synodus *rejecit errores* eorum, qui docent *primo*: *Proprie dici non posse*, quod peccatum originis per se sufficiat toti generi humano condemnando, aut temporales et æternas pœnas promerendo, contradicunt enim Apostolo, Rom. V. 12, 16. Rom. VI. 23. *Dona* spiritualia, ut sunt bonitas, sanctitas, justitia, in voluntate hominis cum primùm crearetur, locum habere non potuisse, ac proinde nec in lapsu ab ea separari. Pugnat enim hoc cum descriptione imaginis Divinæ, Eph. IV. 24. *Dona spiritualia* non esse in morte spirituali ab hominis voluntate separata, cum ea in sese nunquam corrupta fuerit, sed tantum per tenebras mentis, et adfectuum inordinationem impedita: quibus impedimentis sublati, liberam suam facultatem sibi insitam exercere, i. e. quodvis bonum sit propositum ex se aut velle, sive eligerè, aut non velle, et non eligere possit. Novum hoc et erroneum est, eo faciens, ut extollantur vires liberi arbitrii, contra Jer. XVII. 9 Eph. II 3. *Hominem irregenum* non esse proprie, nec totaliter in peccatis mortuum, aut omnibus ad bonum spirituale viribus destitutum, sed posse justitiam et vitam esurire, ac sitire, sacrificiumque spiritus contriti, et contribulati, quod DEO acceptum est, offerre. Adversantur enim hæc Scripturis, Eph. II. 1, 5. Gen. VI. 5. VIII. 21. Ad hæc justitiam sitire, sacrificium dictum offerre, regenitorum et beatorum est. Psal. LI. 19. Matt. V. 6. *Hominem corruptum*, donis post lapsum relictiis, tam rectè uti posse, ut eo usu, majorem gratiam et salutem obtinere, tandem possit, Atque ita DEUS media ad Christi revelationem, fidem et respicientiam necessaria omnibus sufficienter et efficaciter administrat. Falsum hoc esse, 1.

*Reje-
ctio.*

1.

2.

3.

4.

5.

- esse, omnium temporum experientia, et Scriptura testatur, Psal. CXLVII. 19, 20. Act. XIV. 16. XVI. 6, 7. *In vera hominis conversione, non posse novas qualitates in voluntatem infundi, atque adeo fidem, qua primum convertimur, et à qua fideles appellamur, non esse donum à DEO infusum, sed tantum actum hominis, neque aliter donum dici, quam respectu potestatis, ad eam perveniendi, Contradicunt enim hæc sacris Litteris, Jer. XXXI. 33.*
7. *Esa. XLIV. 3. Rom. V. 5. Jer. XXXI. 18. Gratiam qua convertimur, nihil aliud esse, quam lenem svasionem, nihilque obstare, quominus vel sola moralis gratia, homines animales reddat spirituales; atque in eo consistere operationis divinæ efficaciam, qua satanæ operationem superet, quod DEUS æterna bona; satanæ autem temporaria promittat. Omnino enim hoc Pelagianum est, et universæ Scripturæ contrarium, quæ in conversione longe diviniorem operationem agnoscit. Ezech. XXXVI. 26. Positis omnibus gratiæ operationibus, quibus DEUS ad hominem convertendum utitur, hominem tamen DEO, et Spiritui ipsium regenerare volenti et intendenti ita posse resistere, et actu ipso sæpe resistere, ut regenerationem impediat. Hoc enim pacto tollitur efficacia gratiæ DEI, et DEUS voluntati nostræ subijcitur, contra Ephes. I. 19, 2Thess. I. 11. 2Petr. I. 3. Gratiam et Liberum arbitrium esse causas partiales simul concurrentes ad conversionis initium. Nec DEUS prius hominis voluntatem juvat, quam voluntas ipsa se moveat, ac determinet. Hoc enim Pelagii dogma olim damnatum. Rom. IX. 16. 1Cor. IV. 7. Phil. II. 13.*

Sectio Decima-sexta.

- Cap. *Quintum Doctrinæ Caput, de Perseverantia Sanctorum. Articulus primus. Quos DEUS secundum propositum suum, ad communionem Filii sui, Domini nostri JESU vocat, et per Spiritum S.*
1. *regenerat, eos quidem et à peccati dominio et servitute; non autem à carne et corpore peccati penitus in hac vita liberat. Hinc*
 2. *quotidiana infirmitatis peccata oriuntur, et optimis etiam Sanctorum operibus nævi adhærescunt, quæ illis perpetuam sese coram DEO humiliandi, ad Christum confugiendi, carnem per spiritum precum et pietatis exercitia mortificandi, ad perfectionis metam, suspirandi materiam suggerunt, tantisper dum hoc mortis corpore soluti, cum Agno in Cœlis regnent. Propter istas peccati inhabitantis reliquias et mundi insuper ac satanæ tentationes, non possent conversi in ista gratia perstare, si suis viribus permitterentur.*

tur. Sed fidelis est DEUS, qui ipsos in gratia semel collata misericorditer confirmat, et in eadem usque ad finem potenter conservat. *Et si autem* illa potentia DEI vere fideles in gratia confirmantis et conservantis major est, quam quæ à carne superari possit, non tamen semper à DEO ita aguntur, ut non possint, in quibusdam actionibus particularibus à ductu gratiæ vitio suo recedere, & à carnis concupiscentiis seduci, iisque obsequi: quapropter semper orandum & vigilandum, ne inducantur in tentationem. Quod cum non faciunt, non solum à carne, mundo, & satana in peccata etiam gravia et atrocia abripi possunt, verum etiam interdum iusta DEI permissione abripiuntur, quod tristes Davidis, Petri, aliorumque Sanctorum casus in S. Scriptura descripti demonstrant. *Talibus autem* enormibus peccatis DEUM valde offendunt, reatum mortis incurrunt, Spiritum S. contristant, fidei exercitium interrumpunt, conscientiam gravissime vulnerant, sensum gratiæ non-numquam ad tempus amittunt: donec per seriam resipiscentiam in viam revertentibus Paternus DEI Vultus rursus affulgeat. *Deus enim* qui dives est misericordiâ, ex inmutabili electionis proposito, Spiritum S. etiam in tristibus lapsibus, à suis non prorsus aufert, nec eorumque prolabi sinit, ut gratia adoptionis, justificationis statu excidant, aut peccatum ad mortem, sive in Spiritum S. committant, et ab eo penitus deserti in exitium æternum sese præcipitent. *In istis lapsibus* DEUS semen immortale regenerationis conservat, per Verbum et Spiritum ad pœnitentiam renovat, ut remissionem peccatorum contrito corde expetant, obtineant, gratiam DEI reconciliati sentiant, miserationes ejus adorent, et tandem salutem suam cum timore et tremore studiosius operentur. *Ita non suis* meritis, nec viribus, sed ex gratuita DEI misericordiâ id obtinent, ut nec totaliter fide et gratia excidant, nec finaliter in lapsibus maneat aut pereant. Hoc quoad ipsos facile fieri posset et fieret; respectu autem DEI fieri non potest, consilium enim ejus et promissum inmutabile est, vocatio secundum propositum inrevoçabilis, nec Christi meritum, intercessio, Spiritus S. obsignatio et custodia irrita et frustranea fieri potest. *De hac custodia* et perseverantia ipsi fideles certi esse possunt, et sunt pro mensura fidei, qua certo credunt, se esse viva Ecclesiæ membra, se habere remissionem peccatorum et vitam æternam. *Hac certitudo non est* ex revelatione extra Scripturam, sed ex fide promissionum DEI in Verbo revelatarum, et testimonio Spiritus S. Rom. 8: 16. ex serio et sancto bonæ conscientiæ ac virtutis studio. Atque hoc solido obtinendæ victoriæ solatio,

- et infallibili æternæ gloriæ arrha, si in hoc mundo electi DEI destituerentur, omnium hominum essent miserrimi. *Fideles sæpe scrupulosas habent dubitationes, et in tentationibus plerophoriam, et perseverantiæ certitudinem non semper sentiunt, DEUS tamen eos non tentat supra vires. 1 Cor, X, 13. ac per Spiritum S. eam certitudinem in iis rursus excitat. Hæc certitudo fideles superbos, et carnaliter securos non reddit, sed humiles filios, pios, patientes, assidue orantes, constantes in veritate, et in Domino gaudentes, gloriantes. Hæc ergo doctrina est stimulus ad serium et continuum gratitudinis et honorum operum exercitium, ut ex S. Scriptura, et*
11. *Sanctorum exemplis constat. Neque in resipiscentibus lasciviam, pietatis neglectum procreat, rediviva perseverantiæ fiducia, sed majorem curam de viis DEI custodiendis, ne ab iis recedant, atque propitii DEI facies denuo ab iis avertatur, et sic in graviores animi cruciatus incidant. Quemadmodum DEUS opus hoc gratiæ, per auditum verbi in nobis inchoat, per idem medium ordinarium, nec non per usum Sacramentorum illud conservat, continuat, et perficit. Hanc de vere credentium ac Sanctorum perseverantia Doctrinam, quam DEUS ad sui gloriam, et nostrum solatium in verbo suo sic satis revelavit, caro non capit, satan odit, mundus rider, inperiti et hypocritæ in abusum rapiunt, spiritus erronei oppugnant; sed Sponsa Christi ut inæstimabilis pretii thesaurum tenerime semper dilexit, et constanter propugnavit: quod ut porro faciat, procurabit DEUS, adversus quem nec consilium valere, nec robur ullum prævalere potest. Cui soli DEO, Patri, Filio, et Spiritui S. sit honos et gloria in sempiternum. Amen.*

sectio Decima-septima.

- Exposita Doctrina Orthodoxa, Synodus *rejecit errores* eorum,
- Reje-*
ctio.
1. *Qui docent primo: Perseverantiam vere fidelium non esse effectum Electionis aut donum DEI, morte Christi partum, sed esse conditionem novi foederis, ab homine ante sui electionem et justificationem peremptoriam, libera voluntate præstandam. Contrarium enim docet S. Scriptura, Rom. XI. 7, 8, 32. Deum quidem hominem fidelem sufficientibus ad perseverantiam viribus instruere, ac paratum esse eas in ipso conservare, si officium faciat, positis tamen illis omnibus, quæ ad perseverandum in fide necessaria sunt, quæque DEUS ad conservandam fidem adhibere vult, pendere semper à voluntatis arbitrio, ut perseveret, vel non perseveret. Hoc enim est Pelagii dogma, et dum homines liberos vult facere, efficit sacrilegos: Evangelium autem*

tem

15032

tem omnem gloriandi materiam homini adimit, et hujus beneficii laudem gratiæ transcribit. 1Cor. I. 8. *Verè credentes* et regenitos non tantum posse à fide justificante, item gratia et salute totaliter et finaliter excidere; sed etiam non raro ex iis excidere, atque in aeternum perire. Hoc enim pacto justificationis, regenerationis, custodiæ Christi gratia irrita redditur, contra Rom. V. 9. Joh. III. 9. Joh. X. 28, 29. *Verè fideles* ac regenitos posse peccare peccato ad mortem, vel in Spiritum S. Nam Joh. V. postquam taliter peccantium meminisset ψ . 16, 17. aliter loquitur de regenitis ψ . 18. *Nullam certitudinem futuræ perseverantiæ haberi posse*, in hac vita, absque speciali revelatione. Tollitur enim hac opinione solida fidelium consolatio, dubitatio Pontificiorum in Ecclesiam reducitur; hanc certitudinem ex aliis fontibus derivat S. Scriptura, Rom. VIII. 39. 1Joh. III. 3. 4. *Doctrinam de perseverantiæ ac salutis certitudine*, ex natura et indole sua esse carnis pulvinar, et pietati, bonis moribus, precibus, aliisque sanctis exercitiis noxiam, contra verò de ea dubitare, laudabile est. Hi enim efficaciam gratiæ et Spiritus S. operationem ignorant, Scripturæ contradicunt, 1Joh. II. 1. 2. 3. Error hic redarguitur etiam exemplis Sanctorum Veteris et N. Testamenti. *Fidem* temporariorum à justificante et salvifica Fide non differre, nisi sola duratione. Nam Christus ipse, triplex inter temporarios ac veros fideles discrimen constituit. Matt. XIII. 20. Luc. VIII. 13. &c. *Non esse absurdum*, hominem priore regeneratione extincta, iterato, imo sæpius renasci. Hæc enim doctrina negat seminis DEI, per quod nascimur, incorruptibilitatem, 1Pet. I. 23. *Christum* numquam rogasse pro infallibili credentium in fide perseverantia. Contradicunt hi, S. Scripturæ. Luc. XXII. 32. Joh. XVII. 11, 15, 20.

Sectio Decima-Octava.

Recensitis hæcenus adjicerem Confessionibus, Historiam et Doctrinam aliarum etiam in Orbe Reformato Confessionum, et in primis *Belgica*, quæ in corpore, seu Syntagmate Confessionum Tsengeriniano Hungariæ præcedit, Hungarica Civitate donata est, ab Eruditissimo Viro, Stephano Szathmári, Pastore dein Ecclesiæ Ersek-Ujváriensis (: qui interpretum Belgarum eruditas in Apocalypsin notas, etiam ex Belgica in Hungaricam Linguam transfudit:) et edita Amstelodami, A. 1650, ad calcem Catecheseos Hejdelbergenfis ibidem editæ; at vero cum radix, et norma earum Confessionum, sit Sacra Scriptura, et Confessiones Augustana et Helvetica, vel etiam Catechismus Palatinus, iis enarrandis non inmorabor. Hujus etiam essent loci, varia de rebus Fidei, Sy-

nodorum Orthodoxarum in Hungaria et Trans-silvania diversis temporibus contra Novaturientes et Errantes conclusa; nisi hoc in negotio otium mihi fecisset Eruditissimus Auctor *Historiæ Ecclesiasticæ Ref. in Hungaria et Trans-silvania*, qui ea omnia adcuratè, ordine Chronologico suis inseruit locis; digna sane hæc essent, quæ cum iudicio Synodi Dordrechtanæ, Helveticæ nostræ Confessioni adjicerentur, in gratiam imprimis Juventutis Scholasticæ: Quemadmodum per Reverendissimum et Spectabilem Dominum nostrum Super-attendentem, Dominum JOSEPHUM DEÁKI. Editioni A. 1742. optimo consilio et jure accessit: *Formula Consensus Ecclesiarum Helveticarum Ref. circa Doctrinam de Gratia Universalì et connexa, aliaque nonnulla capita. XXVI. Canonibus inclusa.* Accessorium enim sequitur suum principale, et Confessiones veteres, Canonibus è S. Scriptura definitis, pro re nata illustrari, ac augeri possunt: eodem modo, quo auctum est Symbolum Apostolicum, primitus brevissimum: *Credo in Deum Patrem, Filium et Spiritum S.* cujus augmento occasionem subministrarunt Hæretici; quibus Patres Orthodoxi sequentes obposuerunt Articulos, donec in eam, quam hodie possidemus, excrevit molem,

Sectio Concludens.

Equidem, non enim diffiteor, crevit opus sub manibus, et tamen si materiæ dignitatem, utilitatem et necessitatem penitius considero, hanc in rem plura etiam poterant scribi, nisi expensis parcendum fuisset, quas Typographiæ nostræ Trans-silvanicæ præter modum immensas efflagitant. Breves ergo has stricturas rogatus concipere debui, ut volui, (1.) *In Usum Auditorum meorum*, ut eorum mentes ac oculos ad Legem DEI et ad Confessiones Scripturarias figerem, ne deploratis his et exulceratis temporibus ab hypotyposi sanorum verborum, vento promissionum aut minarum agitati, deflecterent. Sed Fidem semel Sanctis ex Verbo DEI traditam constanter ad extremum usque halitum retineant, et Ordini sacro tandem insiti, videant, ne quid per eorum incuriam detrimenti patiatur Resp. Reformata, cujus immaculatam virginitatem, repulantes Remonstrantismi errores deflorare sollicitant: (2.) *Ut docerem Adversarios*, in controversiis Fidei cautius nobiscum esse agendum, plurimi enim, qui nunquam Libros Ecclesiæ Refor. Symbolicos viderunt, aut legerunt, sanctissimam Religionem nostram immensis convitiatorum plaustris onerant, et manifestis maculant calumniis, ergo tantisper fibulam ori injiciant, donec clare et distincte evolvant, cum Verbo DEI conferant Libros nostros Symbolicos. De Doctrina Ecclesiæ nostræ, non ex scriptis privatis, sed ex publicis Confessionibus judicent: imo ne

imo ne quidem de dogmatis privatorum, ex truncatis, et mala fide, sive excerptis, sive detortis sententiis; sed ex integris scriptis, quibus se auctores ipsi declarant, pronuntiare convenit. Quod si etiam de sana Doctrina quædam incommodius, crudiusque dicta reperiantur, ea benigne et ex mente Auctorum interpretanda sunt, non odiose exagitan- da, error enim, non in verbis, sed in sensu hæret. Quare rectè dixit *Lutherus* in Disputatione de Communione Idiomatum: *Sceleratum est, cum noveris pium et sanum esse alicujus sensum, ex verbis incommodè dictis statuere errorem.* Quod si his attendisset *Conrad. Dannhavverus*, Religionem Reformatam, *Hodomoriam et Phantasma* neutiquam nomi- nasset. Nec Cardinalis *Petrus Pázmány* Lib. III. et V. *Hodoegi sui, Augustanam Confessionem mendacem, Helveticam Confessionem DEO rebel- lem* nuncupasset. Neque nuperus Scriptor *Rev. Alex. Tsató*, in Dispu- tatione sua, quam vocat: *DEUM discernentem*, atque in ejus Prologo, atrocibus scommatibus adeo severus fuisset in Protestantes, Is enim cum frequenter visitasset *Cibinii Fratrem meum p. m. Martinum N. Bo- rosnyai* Med. Doctorem, Theologicos inter discursus rogatus est, Num Institutiones *Calvini* legisset? Negavit se legisse, quare p. m. Frater meus, Eidem laudatum adcommo- davit Scriptorem; quem breviori post tempore, quam evolvere potuisset reddidit. Qua fide poterat ergo ju- dicare de *Calvini* Doctrina, quam nunquam legerat. (3.) *Ut qui stant Reformata in Religione, videant ne cadant; cadent autem neutiquam, sed per DEI gratiam constanter stabunt, si Scripturas Canonicas, et Libros Ecclesiæ Ref. Symbolicos in succum et sanguinem converterint, continua collatione ruminaverint, et abnegatis sæculi hujus vanitati- bus, pie, justè, et temperanter vixerint, atque in tentationibus DE- UM precibus suis continuo adoraverint, qui potens est eos in agnita veritate conservare.* (4.) *Ut Ministri V. D. Reformati in Ecclesiis nostris meminerint, se conceptis verbis jurasse, à Libris Ecclesiæ Refor. Symbolicis nunquam recessuros, nec schismaticos futuros. Meminerint se Canonibus nostris Ecclesiasticis fidelitatem pollicitos fuisse, quorum Conclusiones XIX-XXIII. jubent abstinendum esse ab omni hæresi, et heterodoxia, nominatim autem à Sociniana, Arminiana, et Anabapti- stica doctrina, suspectis enim in doctrina, præsentissima imminet pœna. Si cui ergo de aliquo Religionis Ref. capite scrupulus suboriat, vir- tute Canonum Eecl. vel verbo, vel scripto deferat Senioribus, vel Synodo Generali, et amicæ ventilationi submitcat, priusquam doctri- nam à Libris Symbolicis abludentem apud Auditores suos publicè pro- fessus fuerit, et si judicio S. Synodi Generalis non contentus, contu- maciter se opposuerit, satius est illi de gremio Ref. Ecclesiæ exire, et*

panem diversa in Ecclesia querere, cujus doctrinam, Libris nostris Symbolicis adversam, tuetur, quam nomen Reformatum mentiri; Reformatus enim esse nequit, qui in Articulis Fidei, à Libris nostris Symbolicis è Verbo DEI repetitis, recedit. Ergo ejusmodi Novaturientes aut exeant ex nobis; aut redeant ad obedientiam Fidei, secus enim sacro Ecclesiarum nostrarum pane abutentur, pacem Religiosam turbantes, bellum civile movebunt, tenellos animos corrumpent, atque ita sanctissimam Religionem Reformatam, blasphemis mundi exponent non tantum; sed etiam communionem, quam exteri Fidei nostræ consortes, sancte nobiscum coluerunt, distrumpent, aut saltem relaxabunt, id quod ex monumentis antiquitatum Hungaricarum, proprio didicit Gens nostra periculo: *Georgius enim Enyedinus* Socinianorum in Transsylvania Superattendens, (: cujus monumentum Laminæ æneæ incisum, ac nuper annorum repertum, justo pretio Bibliotheca nostra sibi comparavit.) acerrimus Divinitatis Filii DEI et Spiritus S. hostis, id effecit apud exteros, ut *Oppidum Enyed* hodiedum male audiat, quasi sedes esset ipsissimi Socinianismi. Idem porro patet, è monumentis superioris sæculi, dogma enim ubiunitatis, cum in Trans-sylvaniam etiam irrepsisset, Theologi Hejdelbergenfes, Saxones Trans-silvanos recipere recusabant, de omnibus Saxonibus idem judicantes, id quod patet ex Epistola *Johannis Dayka Keservini*. Principis GABRIELIS, Fundatoris Inl. nostri Gymnasii, BETHLENI, quondam Concionatoris Aulici, quam, de Genealogia Principis, et ejus Virtutibus Principe dignis A. 1618. dedit ad Davidem Pareum, S.S. Th. Doct. et Professore Hejdelbergensem. Hanc David Czvittingerus, in specimine Hungariæ Literatæ p. 67. et seqq. sed mutilatam descripsit, ex *Henrici Alting*, Historia Eccl. Palatin. part. post. p. 227. &c. Unum est, quod colophonis loco, additum volo: *Quidam Studiosi Trans-silvano Saxones, Bartholomeus Filkenius Sespurgensis et comes ejus, queruntur in Litteris ad parentes missis, sibi apud vos nullam habitam fidem, quod-que insimulentur ubiunitismi. Sciat vestra Pietas, quasdam Ecclesias Saxonicas apud nos profiteri Orthodoxiam, habentque Viros Celebres, Pastores Orthodoxos, in quorum numero, parenti illius Filkenii, Simoni nempe Pauli, primario Sespurgensis, Ecclesia Pastori, merito primus debetur locus, maxima enim adversus Fratres Saxones Ubiunitarios, et privatim et publicè sustinet certamina, masculique contra eos sanam defendit Doctrinam. Is inter alia, sic ad me scribit: Quaslo V. R. C. non gravetur, si qua valet, qua plurimum valere existimo apud Clarissimum D. Pareum gratia, exorare schedam intercessoriam nomine meo, ut et me, et filium meum, comitemque ejus, sibi de meliori nota commen-*

commendatos habeat. Miror quare suum nobis, usque adeo invidet lumen, nostrisque Trans-silvanis Saxonibus, tam durum se in primo aditu exhibuerit, quo sane facto multum terroris incussum sciat iis, qui hos brevi in magna frequentia secuti fuissent &c. Agnoscat igitur R. vestra Pietas, illos quoque viva Ecclesia CHRISTI membra, et quibuscunque poterit modis, prosit et saveat iis. Faxit denique DEUS pacis et concordiae, ut omnes nostri Adversarii, sepositis odiis, quae animos excæcant, sanam Doctrinam Ecclesiarum Reformatarum maculare definant. Indulgeat Princeps pacis, sanctæ suæ Civitati et Civibus ejus utramque pacem, his in terris, ut omnes idem loquentes, nec inter nos diffidentes, sed eandem mentem, et eandem sententiam firmiter et constanter tenentes, 1Cor. I. ψ. 10. Sub umbra alarum Ejus requiescamus in pace, AMEN.

THESES DEFENDENTIUM.

I.

Primi Reformatores nostri, Zvinglius, Lutherus, Calvinus et alii, legitimam habuerunt vocationem.

II.

Zvinglium, glossam suam de Sacra Cæna somniasse, suggestionem atris Spiritûs. Lutherum, fuisse sceleratissimum. Calvinum, Symbolo Apostolico non credidisse, putidissima sunt mendacia.

III.

Augustinam Confessionem mendaciis scatere, Helveticam Confessionem DEO rebellem esse, falso falsus, et falsissimum est.

IV.

Ecclesiam Protestanticam, hæreticam aut schismaticam esse; cum nullo errore fundamentalis in Doctrina Fidei inbuta sit: nec temere et injuste ab Ecclesia Romana secesserit, negamus et pernegamus.

V.

Notas veræ Ecclesiæ, Protestantium Ecclesiæ competere, supra omnem dubitationis aleam conlocatum est.

V. Re-

VI.

Reformatæ Religionis Doctrinam; novam, et causam tumultuum, dissidiorum, violentiæ, confusions; independentismi, securitatis carnalis, fanaticismi, libertinismi, desperationis, &c. &c. statuere: intolerabilis est calumnia.

VII.

Eandem, bodomoriam, phantasma, absurdam et absurdissimam nuncupare; prodit inflatum, inperitum, et odio excæcatum spiritum.

VIII.

Catechismum Palatinum, ab Augustana Confessione variata dissensisse, Cœnam Domini in profanum Symposium transformasse, Pædobaptismum sustulisse, aut distulisse; impudens eorum est commentum, qui libellis suis famosis Reformatos insectabantur.

VIII.

Phrasis prægnantissima, Catech. Palat. in Resp. XXXVII. CHRISTUS sustinuit iram DEI adversus peccatum universi generis humani, Patronis Gratiæ Universalis nihil prorsus favet.

X.

Libros Ecclesiæ Refor. Symbolicos, v. l. Augustanam variatam, Helveticam, Confessiones; Catechismum Palatinum, Judicium Synodi Dordracensis, atque Formulam Consensus Eccl. Ref. Helveticarum recipimus, retinemus, et defendimus; Scientes nihil in iis contineri, quod non sit conforme Verbo DEI.

F I N I S.

NB. Sphalmata, si quæ ob præcipientem se insinuaverint festinationem, ea B. L. emaculare, præsentem ab iis opellam repurgare, beneque de nobis, nostrisque laboribus porro etiam mereri, non dedignabitur.